CASP. BARTHOLINI

Malmogij Dani

PROBLEMATVM

PHILOSOPHICORVM

&

MEDICORVM

nobiliorum & rariorum miscell.

EXERCITATIONES. X.

Ad disputandum in illustri Albiacâ propositæ.



Anno ∞ Iↄ CXI

Ex Typographia Andreæ Rüdingeri.

Apud Bechtoldum Raaben, Bibliopolam.

meum Logicum offerre haut gravatim voluisti, atq; studia insuper mea ad optima quæq; promovendo clementer prosequi. Sed vim mihi ipsi inferens stilum firmo: atq; silentio venerari libet; quæ sermonis tenuitate venari non licet.

Præter vota tamen & grates aliquod offerendum fuit, ut ut voti amplitudinem non exæquans, mentis munus. Et id quidē operis, quod publicè jam promo, quia primū meum in arte Machaoniâ in se continet periculum, tibi qui in benefactoribus meis es primis, sacratum sive libatum eo, sollenni veterum ritu. His namq; fructûs demetere, priusquàm sacerdotibus primitiæ solverentur, relligio fuit. Mihi itē est, ex novalibus meis Medicis vel præmetium aliquod in horreum advehere, priusquàm tibi has primas spicas è sterili herediolo, quamvis non invitâ omnino Segestâ, collectas. Immaturæ illæ quidem sunt, nō abnuo, & numerò avulsæ: At ingenitæ tibi benignitatis aurâ adspirante percoquentur uberiùs; favorisq; tui amabilibus à stricturis animabuntur protinus; ceu terræ nascentia à magno illo Sole. Majora & meliora nomini tuo inscribi possunt, haut infiteor: majori aut meliori animo alia nulla. Ab animo itaq; hoc, quod animi summi, exiguæ opis signū est, commendādum; soloq; cultus & adfectus mei studio æstimandū: quod ad gratiam tuam conservandam, immò augendam voveo. Deus opt. max. T.I.M. regioni, relligioni, Musis & mihi sospitem superstitemq; diu præstet. Dabam Athenis Leucoreis, 10. Kal. April. Anni Christiani cIↃ IↃ CXI.

T. M.D.

devotus cultor,

CASP. BARTHOLINVS.

INDEX PROBLEMATVM

PRO-

PRO-

EXERCITATIO PRIMA.

Respondente

JOHANNE KITTELIO

Mansfeldensi Cherusco.

PROBLEMA I.

Corpus neutrum an reverà detur?

Negatur.



IS intercedit Galeno & Medicis cum Aristotele & Peripateticis, deturne reverà medium aliquod corpus inter sanum & ægrum, quod οὐδέτερον vocetur seu neutrum corpus, ita ut sit aliquod neq; rectè sanum, neq; rectè ægrum, sed medio modo se habens. Pro Aristotele contra Medicos.

Affirmativam tuentur cum Galeno Medici ferè omnes, quot quidem nobis legere contigit: quia nimirum magna est latitudo inter utrumq; extremum perfectæ sanitatis & ægritudinis. qualia exempla proferunt primò, *in ijs qui modo decidere capiuntur in ægritudines, nondum vero perfectè ægrotant, vocantq; eorum corpora* decidentiæ: *quibus corporibus neutris ars* prophylactica *sit necessaria, à majore nimirũ morbo præservans.* Deinde, *in ijs qui ægri fuêre & nõ dũ tamẽ perfectè restituti, sed contendentes ad sanitatis perfectionẽ, quæ appellãt corpora* cõvalescentiæ: *in quibus corporibus neutris arte* Analepticâ, *quæ reficiat, opus sit.* Tertiò, *in senibus: qui licet ægri non sint, tamen debiles, & non perfectè sani.* Dari corpus neutrum quomodo probent Medici. 1. 2. 3.

E contra *Aristoteles Peripateticorum Coryphæus in Organo de postprædicamentis verba faciens & contrarijs immediatis, inquit, sanum & ægrum in animali esse contraria immediata. Cujus sententiam tuentur Peripatetici, & nos quoq; quia veritati consona est, defendemus & rationibus muniemus: non verò quia Peripatetica est, aut quia in Enchiridio nostro Logico eam propugnavimus. Nunquam etenim auto-* Aristotelis sententia.

ritatem vel Hippocratis, vel Platonis, Aristotelis aut Galeni vel cujusvis etiam doctissimi ita æstimamus, ut non veritatem semper anteponendam existimemus.

Et quamvis *conciliari forte possint Aristotelici cum Medicis, si Aristotelem accuratè & philosophico sermone loqui diceremus; Medicos vero cum Galeno laxâ dictionis licentiâ, vulgariter & populariter, non vero ἀκριβείᾳ Philosophicâ, cum usum magis in curatione morborum respiciant, quàm subtilitatem scrupulosam: tamen quia non desunt Medici etiam eruditi, qui hoc negant, & contendunt absq; ulla allatâ ratione Aristotelem loqui populariter, Galenum verò accuratè probabimus nos; propriè & accuratè loquendo, nullum dari posse corpus neutrum vel medium, quod non aut sanum sit aut ægrum, licet magis aut minus.*

Non dari corpus neutrum probatur.

Magis autem & minus varietatem speciei non moliuntur.

1.

I. Ita *arguimus: Corpus quod neutrum vocant, aut habet aliquid ægritudinis, aut nihil. Inter Ens enim & non Ens, seu contradicentia non datur medium. Si corpus nihil habet ægritudinis, utiq; sanum esse fatebuntur omnes. Si aliquid morbosæ constitutionis tenet, certè ægrum erit corpus: etiamsi aliud reperiatur corpus, quod magis vel minus, quam hoc, sit ægrum. Ad ægritudinis enim vel malæ valetudinis constitutionem sufficit quæcunq; παρέκβασις. Et qui quamcunq; partem vel actionem læsam habet, æger propriè & Philosophicè dicendus: licet vulgus ægros vix appellitet, nisi lecto affixos & jam ad Charontis Cymbam properantes. At sanus propriè dicitur & secundum ipsius Galeni doctrinam; qui promtus est ad omnes operationes perficiendas, ob justam similarium partium temperiem, dissimilarium bonam conformationem, omniumq; unionem continuam vel contiguam: atq; hæc omnia ob humorum & spirituum probam constitutionem.*

Æger quis dicendus.

Sanus quis dicendus.

2. Quem-

2. *Quemadmodum inter rectum & curvum non ideo datur medium, quia magna est latitudo: Vnum enim altero est incurvius: Et linea curva quoad punctum exorbitans etiam est curva dicenda, sicut illa quæ curvißima; licet minus: Sic etiam inter sanum & ægrum non dabitur medium; quia aliquis sanus videri potest & parum æger tamen est, aut si quis modicum morbosæ constitutionis habet, ut sanus tamen videatur. Non enim quid videatur, sed quid reverà sit, investigamus.* 2.

3. *Corpus neutrum aut est convalescentiæ, aut decidentiæ, aut senile, ut volunt Medici. At nullum horum propriè & reverà esse neutrum patebit modò ex ijs, quæ ad Medicorum argumenta adducta respondebimus.*

Itaq; *ad I. Quod corpus decidentiæ vel lapsurum in morbos habent pro neutro, ita refellimus: Hoc decidentiæ corpus aut est ante initium morbi, aut in initio. Si ante initium: utiq; adhuc sanum, cùm nondum morbus inceperit. Si in initio: ægrum est, licet minus quam postea futurum, & opem Medici per artem prophylacticam requirit, ut â morbo majori aliàs secuturo præservari poßit. Et quid aliud est declinatio præter naturam, quàm morbus, vel morbi incrementum?* *Ad argumenta Medicorum Respondetur.* 1.

Ad *II. De corpore convalescentiæ, quod itidem pro corpore neutro habent, similiter arguimus, neutrum non esse. Est enim corpus convalescens aut in fine morbi, aut post finem. Si in fine: adhuc ægret; licet minùs quàm ante & opem Medici requirit per artem analepticam ut corpus morbo majori vexatum reficiatur & viribus restituatur, utiq; reliquiæ morbidæ adhuc inhærentes eradicentur. Si post finem: corpus habebis sanum, quia desijt morbus.* 2.

Ad *III. Quod ajunt senum corpora ferè semper indigere Medico: & obijcere etiam possent; omnes ferme homines ita* 3.

futuros ægros cum pauci reperiantur, qui non vitium aliquod morbidum sentiant. Respondemus verum esse, paucos reperiri reverà sanos, præsertim inter senes, quibus senectus ipsa morbus est. Atq; hoc promeremur delictis Cottidianis, quorum stipendia sunt morbus & mors.

Conclusio. Propriè *ergo, accurratè, & Philosophicè loquendo corpus animalis aut sanum est aut ægrum, nullum medium, quod neutrum dici debet. Latâ tamen loquendi ratione & in usu Medico, quo minùs corporis neutri vocem retineamus nihil prohibet: nam sæpe cum vulgo loquendum, cum sapientioribus verò semper sentiendum.*

PROBLEMA II.

Mulier an aberratio sit naturæ & per Accidens generetur, ceu vult Aristoteles? Neutiquam.

SExus *muliebris nimiùm â quibusdam contemnitur, dum ex Aristotele probare conantur, mulierem naturæ esse monstrum; imò aliqui eò dementia & puerilis stultitiæ progressi sunt; ut seriò negaverint fæminam esse hominem, scriptis etiam hac de re editis satis futilibus. Quibus opinionibus revera monstrosis opponant mulieres Christũ hominis esse diciq; filium; fuisse verò Mariæ secundum naturam humanam filium. Imò opinionum harum autores monstra nuncupent, siquidem â monstris nati sunt ijs ita volentibus: neq; enim simile nisi simile generat. Sed qui cum his disputationem prolixam institueret, in nugis puerilibus inutiliter tempus & chartam collocaret.*

Contra

Contra Aristotelē autem hoc loco pro mulieribus disputandū fuerit: quas vult esse aberrationes naturæ, & per Accidens generari, ac si natura semper intenderet generationē maris per se tanquam ejus quod perfectum est: fæmina verò fieret, quando natura impedita non potuit marem gignere. Vnde nonnulli Peripatetici fæminam naturæ monstrum, marem orbatum, mutilum, occasionatum, accessorium &c. vocitare non erubescūt: nec dissentit Galenus lib. 14. de usu partium Cap. 6. & 7.

Sententia Aristoteli de Mulieribus.

Possunt verò harum opinionum monstrosi autores hisce rationibus sese communire.

Fæminam esse monstrum, quomodo probari possit.

I. Observatum est fæminas sæpe progressu temporis mares fieri, quando nimirum calor fortior factus organa generationis foras protrusit. Argumento est, antea imperfectas fuisse, jam verò perfectiores. 1.

II. Fæminæ frigidiores sunt viris, humidioris & mollioris naturæ, minùs validæ, prudentiæ & sapientiæ incapaciores quæ omnia indicant fæminas respectu virorum monstra dici posse, licet fortè absolutè monstra non dicantur, ut nonnulli excusant. 2.

III. Alij acrius urgent marem & fæminam specie differre, ideoq; fæminā nō esse hominem, si mas homo est. 3.

Quidam verò Recentior Aristotelem tueri annitens variis elabendi rimas quærit, & vult quoad gradum perfectionis naturæ, naturam potius intendere marem quam fæminam, sed quoad scopum universalitatis, vel quoad naturam universalem, intendi non tantum marem sed etiam fæminam. Paulò verò post apertè sibi contradicit, inquiens: naturam universalem intendere perfectum quid & absolutum, particularem verò naturam intendere diversitatem temperamentorum & partium in Individuis humanis.

Decisio quorundā.

Contradictio.

Nos è contra statuimus non modo fæminas non esse monstra, non per Accidens generari: sed putamus insuper naturam

 inten-

Plures generari fœminas quàm viros, probatur.

intendere generationem plurium fœminarum quam virorum. Id verò quod ut plurimum fit, non per Accidens sed per se est. Quam sententiam nostram ita probamus.

1. I. Experientia si consulatur quæ rerum Magistra omnium est, utiq; apparebit in animalium variis generibus plures nasci fœminas quam viros. In humano genere semper plures fœminas in lucem edi testantur Historici, & illi qui quotannis numerum nascentium utriusq; sexus hominum annotant. Gallinas adspice, cum pullos habent, utiq; ad plurimum majorem famellarum numerum reperies. Ita & in aliis.

2. II. Magis sollicita debebat esse natura de fœminarum generatione, quia brevioris vitæ sunt quam viri: Itaq; plures generari debuere, quam masculi.

3. III. Mulieres non tanto tempore operam dare possunt liberis atq; viri. Illæ enim ad annum saltem quinquagesimum; hi ad septuagesimum imò ad octuagesimum prolificare possunt. Ideo famellarum major numerus mage necessarius.

4. IV. Multis fœminis unus vir sufficit, sunt enim tempore gestationis fœtus inutiles famellæ, & interim mas adhuc suum officium facere potest, aliisq; prospicere. Videmus ita toti gregi vaccarum unum aut alterum taurum sufficere. Sic unum aut alterum equum, vervecem, caprum, gallum, anserem &c. multis famellis. Idem & in humano genere naturaliter fieri posset, ni prohiberet lex divina, polygamiam non concedens.

5. V. Sinistris genitalibus vena major est, testisq; turgidior & plenior. Atqui Hippocrati Galeno, & autoribus nõ indoctis aliis fœminæ generantur â sinistris, mares â dextris. Unde dexter testiculus Hippocrati ἀῤῥενόγονος vel marem generans dicitur, sinister θηλήγονος, fœminas procreans. Nec absque

omni

omni fortaſſe fundamine. Putatur enim dexter Teſticulus calidior eſſe, & ſemen magis continere percoctum, quia ſanguinem & ſpiritum puriorem & calidiorem ex vaſis magnis, venâ cavâ & Arteriâ magnâ recipit. Siniſter frigidior, & ſemen continere ſeroſius & imbecillius, quia ut plurimum ab emulgente venâ materia defertur. — *Cur dexter teſticulus marem generet.*

Quibus ita comprobatis, perſpicuum eſſe cuivis poteſt, quod mulier non ſit παρέκβασις *aberratio; non* ἀναπηρία *oblæſio quædam ceu vult Philoſophus lib.4. de gen. animal. cap.3. Nullo verò modo monſtrum, ſive abſolutè dicas ſive reſpectivè.* — *Concluſio.* *Fœminam non poſſe dici monſtrum probatur.*

Nam

I. *Quod ut plurimum generatur & per ſe, non eſt monſtrum vel aberratio* — 1.

Mulier ut plurimum generatur & ſæpius quam mas; ut hactenus oſtenſum.

Ergo.

Major ex ipſo Philoſopho manifeſta eſt, qui monſtra raro fieri & extraordinariè, docet rectiſſimè lib. 2. Phyſic. t. 79. & lib. 4. de gen. animal. cap. 5.

II. *Nullum monſtrum perfectius eſſe poteſt eo quod ſecundùm naturam eſt.* — 2.

At aliquæ fæminæ perfectiores ſunt iis qui ſecundum naturam ſunt ut viris.

Ergo aliquæ fæminæ non ſunt monſtra. Et ſi aliquæ, cur non omnes?

Major manifeſta eſt.

Minor vel ex Ariſtotele lib. 9. de gen. animal. cap. 1. probari poteſt. In genere canum Laconico fæminæ ſunt ſagaciores viris. Panthera & Vrſa maribus ſunt animoſiores. — *Aliquæ fæminæ perfectiores ſunt Viris.*

Addimus nos non nullas fæminas etiam in humano genere quibusdam maribus eſſe calidiores.

3. III. Quod degenerare potest in monstrum, illud jam monstrum non est, alioquin non degeneraret.

At Sexus fœmineus degenerare potest in monstrum, uti notum est.

Ergo.

IV. Si mas & fœmina specie non differunt, utiq; fœmina non magis quam mas monstrum erit.

Sed verum primum, verum ergo & secundum.

Minor ex sequenti problemate lucem mutuabitur.

V. Sine quo perfecta non fit animalis generatio, illud monstrum non est.

Sine muliere non fit perfecta generatio: Ergo.

Major liquet: Nam ex fine rerum naturalium perfectio petenda.

Ad argumenta contraria respondetur.

Consequens jam est, ut ad argumenta Antagonistarum respondeamus.

1. Fœminas aliquando mares fieri.

Ad I. quo dicebatur fœminas aliquando in mares mutari non equidem inficiamur. Neq; pro fabulis habendum, uti multis visum est. Empedocles de se loquitur cum ait:

Et puer ipse fui nec non quandoq; puella.

Plinius exempla aliquot habet, & nonnulla â se visa lib. 7. natur. histor. cap. 4. Livius etiam exempla citat. Albertus, D. Augustinus, (qui ex gentilium scriptis commemorat, & mulieres in viros, & gallinas in masculinum sexum conversas) Gellius, Sabellicus, Alexandrinus, Lusitanus, Montuus, Donatus, Antonius Torquemada, Montanus, 1. experim c. 21. & alij. Ipso die nuptiarum quandam virginem sponsam prodeuntibus genitalibus in virum mutatam fuisse prodiderunt aliqui Historici, & Romæ idem aliquando evenisse memorat Volaterranus. Quasdam mulieres etiam notum est, postquam diu & per annos multos in matrimonio

vix

vixerunt, in mares mutatas, ut exempla habet Iov. Pontanus, & alij. Imò aliquas etiam postquam liberos pepereunt, viros factas esse idem Pontanus exemplis comprobat. Paræus libro 24. cap. 5. inter alia exempla hoc habet: fuisse quandam nomine Iohannem ad annum 14. postea verò ipsi forte ancillæ accubanti & in lecto lascivienti prorupisse virilia; & deinde Iohannem vocatum. Ita & Fulgosius de Salernitani cujusdam civis filiabus duabus natu majoribus ad annum 15. quæ Carola & Francisca appellabantur; Postea vero Carolus & Franciscus. Plura alia exempla licet suppetant, haud opus est adducere.

Sed oggerimus nos rursum exempla haberi etiam ex maribus fœminas factas: quid ergo valebit adversariorum conclusio? Refert Ausonius Beneventi puerum quendam repente factum virginem his verbis: *Mares fieri aliquando fœminas.*

Nec satis antiquum, quod campano in Benevento,
Vnus Epheborum virgo repente fuit.

Et ante paucos annos, ut habent publicæ historiæ, & fide dignorum hominum comprobationes, in Vngaria miles quidam factus est in castris puerpera, prolisq; propater fuit Illustris Comes Mansfeldicus Dux exercitus Germanici generalis.

Atq; dum ajunt fortiorem calorem causam esse in viris, quod organa generationis protrusa sunt, quid respondebunt ad hoc quod antea adduximus, fœminas aliquas viris calidiores esse nonnullis, sicciores, & ad actiones promtiores? Cur in ijs non protrusit natura membra intus abdita? Cur non in femellis rapacium animalium?

Ad II. illa *omnia non arguunt fœminam esse oblæsionem vel monstrum, nam diversitas talis in ipsis etiam viris deprehenditur.* 2.

 Sed

Sed dices: respectivè, in comparatione ad marem tanquam perfectiorem ita dici potest. Respondeo I. Ita omnia monstra vocaveris in respectu ad ea quæ perfectiorem aliquem gradum habent. II. In generibus rapacium animalium fæmellas maribus potentiores esse, fortiores ad quærenda alimenta & injurias eligendas promtiores, sciunt Venatores, ut nihil jam dicam de Cardani opinione, qui mulieres viris calidiores esse voluit: Nihil item de Aristotele, qui calidiora animalia & magis prona in Venerem asserit ea quibus testes intus latent.

3. *Ad III. respondetur problemate sequenti.*

PROBLEMA.
III.
An mas & fæmina specie differant?

N.

Sexum Masculinum & fæmineum specie non differre rectè statuit Aristot. lib. 10. Metaph. cap. 9. & lib. 1. de gen. animal. cap. 23. ubi ait: quanquam diversa sunt animalia mas & fæmina, tamen specie idem sunt: Verbi gratiâ homo utrumq;.

Qualis inter Sexum utrumq; sit differentia

Quomodo verò differant exponit idem Philosophus lib. 12. Metaph. c. 3. masculinum & fæmininum esse proprias affectiones, vel potiùs modos, ortos ex diversâ partium dispositione & conformatione: adde & secundum alios, Temperamenti. Atq; hæc Accidentalis tantùm est differentia, non specifica, cum non sumatur à formâ sive animâ rationali, sed tantum à diversâ partium corporis dispositione. Alij inquiunt esse diversos naturæ gradus: & masculinum quidem esse gradum naturæ intensum; fæmininum, remissum.

In

Insexu itaque non esse specificam differentiam ita probatur.

I. Speicies in speciem non transit.

At aliquando ex fæminâ fit mas, & è contra mas ex fæmina.

Ergo masculinum & fæmininum specie non differunt, sed tantùm diversi sunt modi & gradus.

Minor fit evidens ex exemplis problemate præcedenti propositis.

II. Duæ diversæ species in unam simul non concurrunt. 2

At sexus uterq; in uno animali simul esse potest. Ergo.

Minor ita liquet. Leporibus uterq; est sexus; ut qui modo se pro maribus gesserunt in congressu statim etiam se pro fæminis ostendant, & è contra. Quod non tantum autores probatæ fidei testantur, sed Venatores ipsi, quibus fidem hac parte derogate non possumus. Idem affirmant de Hiæna Plinius lib. 8. cap. 30. Oppianus lib. 3. Venat & Ovid. lib. 15. Metamorphos. inquiens.

—quæ modò fæmina te rgo
Passa marem est, nunc esse marem miramur hyænã.

III. Quidquid non reperitur in omnibus animalibus, illud essentiales animalis differentias constituere non potest.

Sexus non reperitur in omnibus animalibus. Ergo.

Minor innotescit ex Philosopho lib. 2. de generatione animal. 7 cap. 4. & lib 4. de histor. animal. cap. 17.

Marem & fæminam specie non differre probatur. 1.

Sexus uterque in uno animali.

PROBLEMA IV.

An cantus & Musica ad curã morborum, aliquid faciant?

Affirm:

In curatione morborum cantûs certè veteres tanti fecêre ut curatos aliquando inde asseruerint Ischiadicos, Lienosos, Quartanarios, Colicos, Phreneticos & alios. Tanta vis musicæ est, ut hominem quasi extra se rapiat & in pristinum statum reducat. Tritum est illud: Musicam & vinum lætificant cor hominis. Quemadmodum ergo vinum cor corroborando & lætificando hoc efficit, ut hædem alacriùs assurgant, ut cum hoste morbo videlicet decertent: Ita nonnunquam fieri potest ut Musicâ cor & vires erigantur, & quasi sustententur ad expugnandum adversarium.

Aliqui morbi solâ Musicâ curantur.

Sed mirum magis hoc est, morbos aliquos esse qui solùm Musicâ exstirpantur, nec remedijs aliis facilè, quod quidem adhuc cognitum. Est enim Phalangij genus quoddam in Apuliæ partibus à Tarento Tarantula dictum, cujus morsu quàm vespæ ictu acerbiore homines, ut messores vexati perpetuo canunt, illacrymant, delirant, inprimis verò omnes saltant; nec aliter sanitati restituuntur, quam adhibitis Musicis modulis animum delinientibus. Hinc ex animalibus hisce pulvis ritè factus & usurpatus hominem perpetuò quasi saltare facit. Quâ de re videatur in Magia naturali lib. 2. celeberrimus vir Iohannes Baptista de Porta Neapolitanus, fautor & amicus noster colendissimus.

Salus Vtii quid.

Hic affectus similis videtur isti, quem saltum S. Viti, quia hujus invocatione se liberari putant, appellant: in quo homines perpetuò per septimanas etiam aliquot noctu & interdiu choreas ducunt, donec viribus prostratis, & attritis pedibus ad se redeunt, adeo tum imbecilli ut vix refici queant. Vbi tamen non videtur adesse convulsio hos motus ciens, uti Arabes putârunt; sed mens alienata.

EXERCITATIO SECUNDA

Respondente

NICOLAO COLCHIO

Stendalio Marchico.

PROBLEMA I.

An rectè faciant ditiores matronæ, dum infantulos suos alijs Nutricibus lactantibus committunt?

RECTISSIME.

NON defuturos animi oculis præsagimus fore, qui impense novitati nos addictos calumniabuntur, nimiumq; nos veterum placita & decreta contemnere: præsertim cùm non tantùm in hoc, verum etiam sequentibus varijs problematibus á sententia communi ferè omnium recedamus. Quibus opponimus hoc; veritate nihil esse antiquius, quam qui sectatur spretis hominum, qui falli & fallere nati sunt, autoritatibus, veræ antiquitatis, minimè vero novitatis studiosus est; Quia vero in regionibus politioribus ferè omnibus in more admodum positum uxoribus splendidioris fortunæ, regum, principum, nobilium & aliorum, infantem non nutrire proprio lacte, sed nutricis alicujus bonæ uberibus committere; Quæstionem hanc in utramq; partem ventilabimus: An Matres lactare debeant proprios infantulo

an vero nutricibus rectè adhibeant. Et tandem concludemus illud, quod nullus Autor luculentus vel statuit vel rationibus comprobavit; Rectiùs nimirum facere matronas illas, quæ nutricum alienarum lacte prolem ali volunt.

Matres proprios debere lactare liberos, probatur.

Communis opinio, matres propriis debere ubera præbere infantibus, acriter propugnatur à Favorino apud Agellium, Christophoro Vega, Plutarcho, aliisq; non Philosophis modò, sed præsertim Theologis: Atq; argumentis ducuntur sequentibus: Quibus ordine responsiones subijcere libet.

I. Bruta proprios fætús lactant, Ergo multò magis Homines id facere tenentur, nisi brutisq; immaniores esse velint.

Refutatio primæ rationis.

Respondetur 1. Non ideò sunt immaniores. Bruta enim naturæ instinctu ita nutriunt, quia intellectu carent, ut sibi invicem nutriendam prolem concedere haut queant. In hominibus unus alteri auxiliari potest & debet, secus quam in brutis fit. 2. Bruta meritò lactant fætum quem non tanto cum dolore exclusêre, ut in humano genere fæminæ. Nam rectè Aristoteles dixit; inter animalia cuncta unum hominem habere partum maximè laboriosum, tum ob vitam molliorem & sedentariam; tum quod homini caput majus, quo primò in lucem editur. Tantis igitur doloribus ereptam miseram puerperam, & jam nonnihil lætantem rursum molestiis suctionis exponere immane videretur, & brutis optandum.

Cur homo habeat partum in animalibus laboriosissimum.

II. Arg: Lac in uberibus matris hæreditas est infantis, cùm idem sit sanguis, quem in utero hausit, jam salterm de albatus. Hanc ergo hæreditatem, cui adsuevit, ei demere injuria est.

Respond;

Respond: 1. *Adsuevit sanguini; jam lac capiet: quod sive matris sive alterius nutricis sit, lac tamen est: quemadmodum vitulum hoc vel illo lacte vaccino alere perinde fuerit.* 2. *Lac Matris hæreditarium esse largimur: At licet hæreditas nobis cara, tamen si quis dat melius quid, commodius, pretiosius; commutamus.* Refutatio secundæ rationis.

III. Aliâs frustra Natura lac matri dedisset. III.

Sed Responsio in promtu est, naturam pro necessitate dedisse, ut nihil deesset pauperibus in solitudine parientibus, aut aliàs ratione nutriendi aliâ destitutis, ut brutis. Refutatio tertiæ rationis.

IV. Obijcit Favorinus apud Agellium: Compertum esse, si ovium lacte hædi, caprarum agni alantur: In his gigni lanam duriorem, in illis pilum teneriorem. Et canes lacte felium nutritos inquiunt perinde mures capere atq; feles. Sic quia Romulus & Remus lupæ uberibus aliti, dicuntur Romani facti postea, quasi lupi rapaces. Et Iustinus autor est, quendam cervæ uberibus enutritum tantâ pedum pernicitate fuisse, ut cervis ipsis non cederet. IV.

Respondetur I. *In his omnibus exemplis diversæ semper adducuntur species, ex quibus lac petitum. At nolumus nos humanum partum vel canis lacte alendum, vel asinæ, vel cervæ &c. sed humano.* 2. *Si vera exempla sunt allata; proderit lac lupinum pro futuris militibus strenuis: cervinum pro cursoribus futuris, tabellarijs, ambactis, & omnis generis ministris. Sed fides sit penes Historicos. Scribit Galenus de agricola quodam qui centum annos vixerit solo lacte. Pono fuisse vaccinum: Si vera sunt exempla Historicorum allata, mirum est colonum illum non in vaccam vel taurum mutatum fuisse.* Refutatio.

V. Nutrices ut plurimum meretrices sunt; Quarum mores & animus infantibus cum lacte instillantur.

Refutatio

Respondetur 1. Eligatur honesta & pia. Hæc si haberi non potest, saltem quæ ex humanâ fragilitate lapsa non perseverat. 2. Non adeò, uti putant, multum ad ingenium formandum facit nutrimentum, quod naturali facultati succurrit, non immediatè animali, multò minus rationalis animæ facultatibus. Hinc rectè Scaliger exercitatione 212 Nempe lectissimarum nutricum alumnos animo fero multos agnovimus, eosq; parentibus partim bonis partim malis. Ad ingenium ergo & mores plus faciunt sydera natalitia, horoscopi, progenitores, situs & natura loci, bona corporis temperies, educatio &c. Quare frustra Tiberii bibacitatem, & Caligulæ crudelitatem nutricibus imputare Autores videntur.

Scaliger.

Ad ingenium quæ faciant.

VI

VI. Nutrices non tantâ sedulitate alunt infantes non proprios, quia mercede conductæ.

Refutatio.

Respondetur. Accedat materna etiam cura & inspectio continua.

VII. *VII. Ita obyciūt, Si matres proprios infantes nō lactant, frustrâ sunt mammæ: Atq; ideo geminæ datæ, ut gemellos lactare queant.*

Refutatio.

Respondetur. 1. Datæ sunt mammæ, ut lac pro necessitate subministrarent: neq; opus est, ut ad alendum semper proprium fœtum adsint. 2. Non ob gemellos data sunt bina ubera, sed ratio communis est geminationis aliarum partium; Alioquin quid dicendum, quando terni, quaterni, eduntur fœtus. Dices rarum esse. At rarum est gemellos nasci, si cum iis quæ communiter unum edunt fœtum, mulieri-

An ob gemellos bina data ubera.

bus

bus fiat comparatio earum quæ geminos procreant. Atq; hactenus adversariorum objectiones præcipuæ omnes, & in medium allatæ sunt, & è medio sublatæ.

Nostra vero opinio quæ à vicarijs stat nutricibus, sequentibus stabiliter rationibus.

Matres nō debere lactare proprios infātes Opinio nostra, probatur.

I.

I. *Primis diebus lac est aquosius & tenuius. Quia humor nondum ad suetus ad mammas affluere. neq; mammæ etiam in elaboratione lactis adhuc satis excercitatæ sunt donec frequentiori puelli attractu spiritus & humores magis ad ubera attrahantur. Si ergò primis diebus præstat infantulum uberibus nutriri vicariæ nutricis, quæ lac fundit magis pingue minusq; serosum & aquosum (quod idem & in animalibus usu venit, ut quo longiori temporis tractu post partum lac mulgeatur, eò plus butyrosæ substantiæ & pinguedinis, minùs vero aquosæ obtineat) utiq; continuatio laudanda; Nè ex mutatione detrimenti aliquid soboles sentiat. At si metuis ne ex nutricis moribus aliquid imbibat: serò nimis amoves. Nam primis diebus retrahere, uti dictum, non conducit, si vero postea retrahis; tamen*

Lac serosius est quod cito post partū emulgetur.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
testa diu. ————

II.

2. *Labes per contagium necesse est accedat primis diebus, ex lochiis impurissimis & fermè venenatis, nouimestri spatio detentis, unde non mirum est, infantulos sæpe morbosos nimium fieri, & brevis vitæ: quod non ita facilè fieret, si infantes statim bonæ & benè habitæ nutrici admoverentur.*

III.

3. *A partu puerpera ut plurimum infirmior est & ægrior, ob pœnam divinam in Eva inchoatam ut cum dolore & labore enitteretur. Statim ergò puerperæ uberibus infantulum admovere, esset non modo matrem denuo nimiumq; cruciare, verum etiam infantem morbis & mortis periculis exponere. Nam qualis sanguis, videlicet in morbidis morbidus, tale lac, quod ex eo generatur.*

 4. Si

IV. 4. *Si sanæ sunt statim à puerperio; tamen adhuc immane est eas doloribus ereptas mox aliis rursum subÿcere molestÿs.*

V. 5. *Imo brevi à partione tempore conjugalis amoris delitias regustare cupit conjunx, vel alteruter, vel uterq; Et rectè quidem ad implendum illud: Crescite, & multiplicamini. Aut itaq; conjuges hoc officium mutuum sibi invicem denegabunt, & interim in tentationes & peccata ruant necesse fuerit, vel saltem corporis morbos: aut si amorem pristinum exercent; infans lactari nec potest nec debet à matre, cum ex viri commercio lac corrumpi nemo nesciat: Atq; tum si antea mater Infantulum ipsa nutrÿt, jam tamen nutricibus committere cogitur. Quod si jam dudum factitasset & à principio; longè Herculè rectius, evitandæ mutationis caussâ, cui infantes tenellos & impatientes exponi haut convenit. Hinc contrariæ etiam sententiæ propugnatores concedunt nutrices, quando matres aut ægritudo aut conceptus impedit.*

VI. Dilemma. 6. *Mater ad lactationem admittenda aut sana est aut ægra. Si sana: aut excusari potest ob impedimenta legitima, cõceptus, vel alia; & tum nutrice opus est: aut non-excusari potest legitimè, ob mollem ignaviam, novercalem immanitatem, delicatam superbiam, luxuosam vitam, aliudve vitium; & neque tum admittenda ad lactationem mater, ne infans materna illa vitia (quæ imbibi cum lacte nutricum asserunt Adversarÿ) hauriat. Ergo planè non admittenda est, ut lac præbeat mater; sed nutrix aliqua vicaria.*

VII. 7. *Probamus exemplis infinitis in orbe Christiano Regum, principum & Heroum qui sæpiùs vicarium lac sugunt quàm maternum: Et tamen æquè feliciter & benè res geritur Immò si cum lacte mores imbibũtur, præstat nutricis in Heroibus lac, quando matres luxui, molli superbiæ &c. sunt deditæ:*

Conclusio. *Hisce itaq; constitutis, alienæ nimirum obstetricis lac ma-*

terno

terno præferendum, sciendum insuper non statuere nos promiscuam nutricum multitudinem admittendam. Nam nutrix eligenda est non quævis, sed monente plutarcho, proba & honesta, moribus verecunda, hilaris, placida, sobria, casta, nullum agnoscens viri commercium, legitimum vel illegitimum, sermone expedito & blando, non garrula, corporis sanitate optima & inculpata; quæq; lac præbeat substantiæ mediocris incrassitie & tenuitate, omni ex parte æquale, colore candidum, sapore dulce, odore gratum nec fætidum. Absit ergò statuamus quamcunq; eligendam, qua in re nimium peccant hodie quamplures matronæ. Tales nutrices bonas, quà animum quà corpus ferunt fuisse Lacænas, quarum operâ etiam exteri sint usi, teste plutarcho.

Non quævis nutrix eligenda.
Cautio.
Bonæ nutricis requisita.

PROBLEMA II.

An SEMEN & SANGVIS sint principia materialia partium humani corporis, an solus sanguis, an verò solum semen?

Postremum adserimus.

Ad conservationem speciei à viventibus omnibus materia aliqua promanare debuit, ex qua simile generaretur aliquod. Non enim sicut ex veteri cicada, aut ex phœnice novum alium nasci perhibent: ita ex planta intereunte, tota nova alia corporali progignitur (nisi sub spiritali aliqua specie) nec animal simile ex priori, modo quocunq; pereunte, ordinario naturæ cursu exsurgit: sed viventia inquam materiam aliquam relinquunt, ex qua simile sibi generant, adeoq; quodammodo immortalitatem nō numero, sed specie, quæ semper est, & æterna, desiderantia in posteris se conspicienda præbent. Hæc materia in humano genere anxiè à Philosophis & Medicis inquiritur.

Et

De materia partium Corporis Opinio 1.

Et prima quidem opinio communis eorum est qui accuratiores esse videriq; volunt; esse nimirum partium corporis nostri duo materialia principia: Semen & Sanguinem, Gal. lib. 2. de natur. fac. l. 3. lib. 1. de sanit. tuend. in initio, & lib. 1. de semine c. 11. Ita tamen ut in illo sit principium materiale paucissimum, in hoc plurimum; rursum in illo effectivum potentissimum, in hoc imbecillimum.

Semen & sanguinem esse principia materialia, aliorum sententia.

Sententia hæc communis communiter sequentibus stabilitur munimentis. Quia aliæ sunt partes spermaticæ sive semini ortum suum acceptum referentes; aliæ verò Hæmaticæ vel carnosæ, ex sanguine natæ, Gal. lib. 1. de sem. c. 11. lib. de constitut. artis 6. in arte medica, lib. 1. de tuend sanitate: & Avicenna lib. 1. fen. 1. doct. 5. lib. 1. Aliæ cùm non reperiantur in corpore animalis partes viventes, utiq; hæc duo principia materialia partium corporis agnoscenda sunt, nec plura nec pauciora.

Partes quotuplices.

Partes spermaticæ quæ.

Seminales partes eæq; similares, quas recensent accuratiores scriptores, sunt: os, cartilago, ligamentum membrana, fibra, nervus arteria, vena. Quanquam tres ad sensum solummodo similares sint; cum constent ex tunicis, ostiolis, medulla &c.

Partes hæmaticæ quæ & quotuplices.

Partes hæmaticas sub carnis nomine comprehendunt, ejusq; quadruplicis: musculosæ, viscerosæ, membranosæ, glandulosæ. Qua de re nos alibi fusiùs & diligentiùs agere decrevimus. Cutim vero exactè mediam naturam obtinere ajunt inter spermaticas & hæmaticas eò quod exactum ob sensum & à natura in usum animalis destinatum non plus ex semine, quàm ex sanguine, nec ex hoc plus quàm ex illo impetrare potuerit: ut ita exquisitè, in neutram partem magis inclinans de partibus utriusq; generis, tam seminalibus, quàm carnosis judicium ferret. Partes ergo spermaticæ ex recepta plurimo-

Cutis cur media inter spermaticas & carnosas.

rum

rum & Philosophorum & Medicorum opinione sunt quæcunq; frigidæ siccæ, duræ, albæ, exsangues. Sanguineæ verò calidæ, molles, rubræ & carnosæ.

Secunda opinio est Aristotelis; qui lib. 1. de gen. anim. cap. 20 lib. 3. de part. anim. c. 5. & alibi materiam animalium sanguine præditorum statuit solum sanguinem maternum seu menstruale. Semen verò fœminæ non admittit in generationem, licet non ignoraverit, humorem in vasis fœminarum inveniri solitum, quiq; in actu venereo cum voluptate ijs effunditur; nam ejus expreßis verbis aliquoties mentionem injicit: sed rationem potius humoris alicujus inutilis excrementitijq; habere putat, non seminis. Ita enim lib. 1. de gener. anim. c. 20. Initiò ait: quod autem semen conferri à fœmina per coitum nonnulli existimant, propterea quod interdum simili voluptate afficiatur ut mas, simulq; aliquid humoris secernat: Id non humor seminalis est, sed loci proprius. Vteri enim excretio est, quæ alijs evenit, aliis non &c. Interim, quin alijs in locis habeat, non ignoramus. Semen verò paternum in rationem materiæ non admittit, & hoc rectè quidem nostra sententia; sed nudi efficientis vicem gerere censet.

Hanc Philosophi alioquin summi & ad miraculum usq; docti sententiam non tantum deservêre emunctiores Peripatetici & proprij asseclæ, tanquam erroneam & futilem; sed sprevêre etiam alij sapientiæ indagatores, præsertim verò scholæ Æsculapij Alumni: qui tamen omnes, quantum quidem nobis constat, primam sententiam totis, quod dicitur, ulnis amplexantur.

Tertia sententia nostra est: partes animalium adeoq; ipsius hominis ex solo semine tanquam materia ex qua constare & primo conflari: sangvinem vero maternum currere

Signa spermaticæ partis Signa hæmat.

Opinio II

Opinio III nostra.

rere ad partes nutriendas augendas & amplificandas, neutiquam primitus constituendas. Et hanc quidem sententiam nostram non absque veri similitudine comprobare licet.

Probatur I. *1. Ex analogia aliorum viventium in quibus unum tantum principium est materiale: Etenim videmus plantas cujuscunq; generis non nisi unum obtinere principium materiale, videlicet semen: quod in terram conjectum exsurgit in plantam similem, ei quæ semen protulit; nec alio adventante eget, seu materialiter constituente, at nutrientem & amplificantem interim materiam nullatenus respuit.*

II. *2. Partes spermaticæ dictæ in se habent aliquid Sangvinis, & carnosæ in se habent aliquid Seminis. Concidit ergo distinctio usitata partium in seminales & carnosas, usitato modo intellecta. Partes spermaticas ex sanguinis affluxu quasi subtegmen obtinere sive alterum materiale constitutivum principium, ex semine vero stamen & prima quasi filamenta, ipsi qui primam opinionem sectantur Autores edocent. Carnosas vero partes filamenta etiam spermatica habere tanquam fundamenta, iidem non eunt inficias.*

III. *3. Quandoquidem carnosas partes omnes vult prima opinio esse ex sanguine, quid dicendum de substantia cerebri, quæ alba est & exsanguis; de carne item propria membranarum impropriè appellatarum videlicet ventriculi, intestinorum. Hic reperies nonnullos ex semine ortum tribuentes his partibus, nonnullos verò ex sanguine. Nobis vero partes omnes ex semine primam trahunt originem.*

Communis distinctio partium similarium salvatur. *At quomodo salvabimus distinctionem partium similarium in spermaticas, hæmaticas, & exactè mistas. Negabiturne, dicet quispiam, carnosas partes posse regenerari*

cum

cum sanguis suppetat semper, secus quam seminales, quæ ob defectum seminis non resarciuntur. Et negabiturne cutim æqualiter esse mistam ex semine & sanguine, cum alias exquisitum judicium de qualitatibus omnibus tactilibus ferre non possit.

Hic se facilè ingerere potest in lectorum animos scrupulus.

Quemadmodum putamus partes omne ex semine fieri tanquam materia ex qua, unde & adversa sententia fateri cogitur non tantum in spermaticis esse portionem seminis; verum etiam in carnosis & sanguineis, licet minus in his quam in illis: Ita volumus partes seminales plus accepisse portionis seminalis, carnosas verò minus, sed sanguinis affusi pl9 pro amplificatione & nueritione, non vero pro prima constitutione. Cutim vero censemus in proportione ad reliquas partes mediocrem portionem seminis indeptam esse; nempe non adeo copiosam instar spermaticarum nec adeo exiguam ut hæmaticæ. Et jam manifesta ratio est regenerationis carnosarum partium, quæ fit ratione sanguinis amplificantis, uti & cicatrix in cute ratione sanguinis. Ratione etiam hujus amplificãtis sanguinis partes hæmaticæ decrescere possunt valdè & subitò, eo nimirum ceu alimento deficiente, non tamen planè absumi ob restantem seminalem materiam.

Nulla itaq; ex nostra sententia pullulant absurda, ut concludere intrepidè sustineamus, partes animalium omnes ex solo semine tanquam materia generationis & constitutionis primæ ex qua conflari.

EXERCITATIO TERTIA

Respondente

SAMUELE GEUSUVIO
Longoleusino Austrio.

PROBLEMA I.

An semen utrumq; patris & matris, an verò solum maternum, materiale principium sit generationis partium in animalibus?

Posterius adstruimus.



Onstat jam in generatione animalium & ipsius hominis, solum semen esse materiam ex quâ partium. Quæritur ulteriùs, quodnam semen materia? In plantis id scrupulosè inquirere deliri esset hominis; cùm ibi confusi sint sexus, ut non nisi ab uno prodeat semen; Nec alterius congressu ex se progignant, siquidem ad movendum sunt aptæ, sed inhærescunt semper alimento radicibus infixæ. Cæterùm quia in animalium genere sensus participe, geminus sexus à natura datus est, masculinus & fœmininus; Et uterq; materiam seminalem colligit atq; emittit: dubium non immeritò fieri potest, an utrumq; semen, an verò unicum, materia sit statuenda.

Nos fortè primi videmur hanc dubitationem afferre, cùm aliàs recepta opinio hactenus omnium fuerit in scholis Medicis & accuratioribus Philosophicis, utrumq; semen requiri, &

utrumq; se habere tam activè quàm paßivè, hoc est, in utroq; adesse & materiale principium, & effectivum; licet quàm plurimi effectivum potentius in virili spermate concedant. Cajetanus tamen in secunda secundæ ad q. 154. art. 12. quia convictus argumentis concedit contra Aristotelem, fœminas semen edere, negat illud habere vim activam, sed esse subjectum, ex quo fœtus componitur. At satis firmiter hoc Cajetanus nec statuit, nec probat.

Opinio I. *Prima ergò* opinio *est hæc communis, & in scholis recepta:* utrumq; semen *& virile & muliebre* esse materiam *generationis partium, & in utroq; etiã latere vim effectricem; ita ut utrumq; semen naturam utriusq; principij sortiatur, efficientis & formalis ratione spirituum, quibus undiquaq; perfunditur; materialis verò ratione crassamenti seu craßioris corporis. Et hujus opinionis sunt cum Galeno Medici & Philosophi ferè omnes.*

Fœmineũ semen efficiendi vim habere, quomodo probet Fernelius 1.2.3. *Fœmineum autem semen efficientis etiam rationem habere, nititur probare Fernelius,*

I. Quia non habet alium ortũ in fœminis, quàm in maribus, sed à testibus & vasis.

II. Quia mulier morbosa, ut podagrica, calculosa &c. prolem horum malorum hæredem facit.

III. Quia partus plerumq; matri similis.

Refutatio. *Sed omnes hæ rationes laborant vitiosißimâ consequentiâ. Possunt enim illa omnia ratione materiæ accidere, ut concludere hautquaquã liceat: Ergo semen fœmineũ vim habet activam & generatricem. Quoad similitudinem, præsertim inter matrem & fœtum, quia hoc alicujus momenti argumentum esse videtur, breviter ita dissolvendum: Similitudo quidem provenit immediatè à virtute formatrice, quæ viri est, non fœminæ. Hæc tamen variè modificatur ad hanc vel illam effigiem, à dispositionibus materiæ antecedentibus ex matris vi-*

Similitudo matris & fœtus unde.

activa

activâ remotâ factis, ex quâ remota etiam similitudo oritur. 4. Ratio.

IV. Validiùs fortaßis ita quis insurgeret ex Galeno lib. 1. de semine cap. 5. qui Aristotelem reprehendit, quòd suorum principiorum oblitus in plantis & animalibus naturæ opera diverso modo explicet. Ita, inquam, quis insurgere posset: In plantis semen ipsum, & materiam & formam dat; cur ergo non in homine?

Sed respondemus nos, malè aßimilari plantæ semini unicum fœminæ semen, vel unicum maris. Quemadmodum communis opinionis assertores volunt, semen utrumq; seorsim consideratum habere vim & agendi & patiendi, rationemq; & efficientis & materiæ. Ceterùm plantarum, in quibus sexus distinctus non est, seminibus correspondet χύημα, *quod ex utroq; semine maris & fœminæ primùm oritur, non tamen ita intelligendo particulam* ex, *ac si vellemus maris semen unà esse materiam, ex qua fœtus fit. Distinctio hæc hauriri potest vel ab ipso Aristotele lib. 1. de generation. animalium, cap. 23. cùm ait: Et quanquam diversa sunt animalia, mas & fœmina, tamen specie idem sunt: verbi gratia, homo utrumq;. At in plantis facultates istæ miscentur, nec mas à fœmina separatur, quam ob rem ex se ipsæ progenerant, nec genituram emittunt, sed conceptum, quod semen vocatur, afferunt.*

Refutatio.

Plantæ semini quomodo humanum respondeat.

V. Ita quis objiciat: Si mater non activè etiam concurrit, relatio ejus & patris non habebunt idem fundamentum proximum, videlicet actionem: adeoq; paternitas & maternitas, seu relatio, qua pater refertur ad filium, & ea qua mater ad eundem, specie distingui dicentur quod ἄτοπον. 5.

Sed responderi de facili potest, relationē maternitatis fundari in actione generandi, ad quam non concurrat, materiam organizando, quod viri est, sed remotè. Refutatio.

VI. Potentiæ ejusdem rationis consequuntur formas ejusdem speciei. Atqui mas & fœmina ejusdem speciei formas habent (non enim differunt specie, uti exercitatione primâ problem: ultimo manifestum factum est) Ergo si mas habet potentiam activam, eandem habebit fœmina.

Refutatio. *Respondetur, formas in eadem specie convenientes consequuntur potentiæ ejusdem rationis, i. e. ejusdem naturæ specificæ, non verò ejusdem ordinis & gradus; alioquin omnia, quæ viro tribuuntur, tribuerentur & fœminæ, & è contra: quod absurdissimũ. Licet enim specie nõ differant sexus masculinus & fœmininus, diversi tamen gradus sunt.*

7. *VII. Muliebre semen fit ex sanguine optimo & spiritu affluente, ad instar virilis. Non ergò magis in illo, quàm in hoc sopita & mortua esse potest spirituosa seminis pars, sed actionem in generatione etiam obtinebit.*

Refutatio prima. *Respondemus I. non omnem actionem nos detrahere muliebri semini, cùm concedamus eam, quæ disponit, ad inferiores & subservientes formas: at eam denegamus, quæ ad formam vitalem producendam pertinet.* Secunda. *II. ex tali collectione sequeretur, æqualem vim agendi inesse semini fœminino & masculino: quod ipsi, qui nobis adversantur, autores Clarissimi haut concedunt, quia fœmineo non nisi exiguam & impotentem actionem, in respectu ad virum tribuunt.*

Ita semen virile materiam quoq; esse prolis probant; quia intus manet injectum, nec redit. Sed sequitúrne hinc: Ergo abit in materiam partium fœtus? Galenus verò sex rationes

habet

habet contra Aristotelem, præcipuè lib. 1. de semine cap. 1. probantes ex semine partes aliquas fieri. Verùm istæ contra nos nihil concludunt; cùm maximè tangant Aristotelis sententiam, pro materia sanguinem ponentis, non semen.

II. *Opinio est* Aristotelis *& paucorum, qui eum sequuntur,* virile *nempe* semen *non intrare tanquam materiam in constitutionem partium corporis; sed* nudi efficientis rationem habere: *non aliter ac artifex suâ substantiâ in lectum vel fabricam non ingredi potest, sed efficientis causæ duntaxat vicem sustinet: Et sicut Coagulum lac coagulans efficientis, non materiæ rationem subit. Ita enim Philosophus lib. 1. de generat: animal: cap. 20. Sed evenit porrò quod ex rectâ ratione est, ut cùm mas formam & principium motus præbeat, fœmina corpus atq; materiam; quemadmodum in lactis concretione corpus lac ipsum est, succus aut coagulum principium spissandi cogendiq; obtinet; sic quod à mare in fœmina distinguitur, intelligi debeat. Et certè sacra scriptura; ut incidenter hoc allegemus in formatione hominis; tali similitudine utitur, cùm dicitur: Sicut lac me fudisti, & sicut caseum me coagulasti. Aristoteles verò ulteriùs in fine capitis inquit; Quòd si mas est ut movens & agens, fœmina quà fœmina, ut patiens, sequitur ut ad maris genituram fœmina non genituram, sed materiam conferat. Quod & fieri ita videtur: natura enim menstruorum pro prima materia est. Capite verò sequente ait: Nam cùm in universum animo complectimur, non ita effici unum ex patiente agenteq; videtur, ut quod agit, in eo quod efficitur, insit; nec omninò ex eo, quod movetur, quicquam constitui. At fœmina quidem, quà fœmina, patiens est; mas quà mas agens, & unde movendi principium*

II. Opinio.

est. Et paulò pòst: non ex ijs unum quod gignitur, est, sed ita ut ex fabro & ligno lectus, aut ex cera & forma globus est. In eandem sententiam loquitur cap. 22.

Nec enim mas omnis semen emittit, & quibus emittitur maribus nulla pars fœtus, hoc est sicut nec à fabro quicquam secedit ad lignorum materiam, neq; pars ulla artis fabrilis, in eo, quod efficitur est, sed forma & species ab illo per motum in materia existit. Et lib. 2. cap. 4. ait: Itaq; corpus & magnitudinem præberi à fœmina necesse est, à mare nihil tale necessariò desideratur. Ac paulò pòst: Corpus ergò ex fœmina, anima ex mare.

Fœminæ an semen habeant.

De fœminino verò semine Aristoteles mutus est & menstruum sangvinem pro sola materia substituit. Verùm fœminas revera semen & habere & emittere notissimum est; cùm testiculos & seminis vasa, uti mares, habeant; ejaculentur item semen copiosum satis, crassum & album per insomnia, titillationes, congressus; atq; in dissectis cadaveribus fœminarum, quæ diu sibi temperarunt à coitu, in vasis semen circumfluere deprehendatur, inq; testibus crassius atq; perfectius; & nonnunquã adeo copiosè effundi, ut dissectorem impediat, teste Andernaco.

Opinio III. nostra. Solum semen fœminæ esse materiam animalis.

III. Sententia nostra est, eaq; inter has binas media. Ex parte enim consentit Aristoteli, ex parte Galeno, & cõmuni sentẽtia. Cum Aristotele facimus in hoc, quòd semini virili solius efficientis rationem tribuat, ut activè se habeat in generatione, non passivè intret ut materia: quando verò Aristoteles fœminæ semen materiam generationis negat, & menstruum sanguinem loco seminis nobis obtrudit; tum non injuriâ ab eo divortium facimus.

Cum Galeno & ejus sequacibus concordiam alimus, dum fœminæ semen pro Materia cognoscunt; at discordiam, quando semen illud mulieris partialem causam materialem arbitrantur,

& vi.

& virile tãquã alterã partialẽ adjungũt. Atq; ita nõ uno principio cõtẽti, pluribꝰ; sicuti & in praecedẽti problemate, nimis delectãtur. Quẽadmodũ verò in praecedente problemate statuimꝰ unũ principiũ generationis partiũ humani corporis: ita & in hoc, cùm quaeritur de pluralitate seminũ; unicũ principiũ materiale proximũ admittimꝰ: semẽ nimirũ mulieris, quod purè passivè se habeat; unicũ etiam efficiẽs proximũ, purè activè se habẽs videlicet semẽ masculinũ, à quo solo veniunt spiritus. Vnum ergò generationis principium, formae & propter δύναμιν efficientis causae rationẽ habet mas, qui facultate sua in alio gignit; alterum subjecti, & propter ἀδυναμίαν materiae rationẽ sortitur foemina, in qua gignitur. Nam vim gignẽdi semini maris tribuimus (foemineũ verò à maris semine movetur) à quo prima operatio, quae ebullitio dicitur, & spumificatio: quia secundã actionẽ, seminis tempꝰ vel gradum vocant aliqui partiũ delineationẽ, tertiã carnificationẽ, quartã perfectã omnium conformationem. Atq; rectè comparari potest semen maris scintillae; foemineum verò fomiti.

Hoc verò nõ ita sine sale accipi volumꝰ, ut nõ alioquin actio aliqua in semine muliebri se exerat. Nã ut gallinae per se facultatẽ habẽt gignẽdi ova (nõ verò foecũda & ad vitam destinata) ita foemina facultatem habere potest producendi formas inferiores misti alicujus alteri subordinatas & subservientes; quod liquet maximè in ijs animalibus, quae ex specierum diversarum permistione oriuntur; ut cùm ex capro & ove ovis generatur, sed durioris lanae. Itaq; ad officia aliqua, quae generationem antecedunt, foemina per vim activam influere potest: qualia sunt sanguinis coctio, seminis confectio, ejusdem ad uterum evocatio, calefactio, conservatio, &c. At non ad proximam & praecipuam formae dispositionem: quam organi rationem appellare liceat. Licèt ergò ad formae introductionem mulier quoq; remotè praeparet; non tamen proximè & efficienter ad eam concurrit. Hinc

Refutatio.

Semen foeminae aliquam agendi vim obtinere.

Hinc ut habet Philosophus lib. 2. phys. c. 2. §. 24. in artibus ars inferior disponit materiam, superior verò formam introducit.

Quæstio ergo est, an à fœmina ultimò disponatur semen, & delineentur atq; conformentur partes per vim activam propriam fœmellæ? Vel quod idem est, an activè concurrat mulier ad introductionem formæ animatæ? Hoc verò nos negamus cum Aristotele, Averroe, Avicenna, Alberto Magno, Thoma, Cajetano, Durando, Capreolo, Alense, Hervæo, Marsilio & alijs contra Hippocratem, Galenum, Fernelium, Heurnium, Laurentium, Vegam, Lemnium, Vesalium, Vallesium, Valeriolam, & ferè omnes Medicos; nec non nonnullos Philosopho-Theologos scholasticos, Scotum, Bonaventuram, Occamum &c? Et hoc in simul volumus semen fœmininum in generatione solam præbere materiam ex qua; hanc verò seminalem fœminæ materiam esse infœcundam & inertem, nisi vis & efficacia accedat efficientis, videlicet virilis seminis, à quo omnis fœcunditas, virtus & efficax actio est. Hoc verò varijs modis probare possumus.

Nostra sententia probatur.

1. *Quemadmodum in præcedenti problemate analogiam aliorum viventium adduximus; Ita nunc quoq; analogiam aliorum animalium in scenam prodire jubemus. Aspicite volucres, ut Gallinas, Anates, Anseres &c. pisces item, insecta &c. Atq; in animalibus hisce aquatilibus, reptilibus, volucribus &c. solum maternum semen materiam esse ex qua generationis, liquidò & sole meridiano clarius manifestabitur. Et hoc si est, uti esse revera deprehendetur, cur non eadem ratio in animalibus alijs & homine ipso, nisi diversitatem omninò requiri & necessariam esse quispiam demonstret, & quidem ex naturæ potiùs libro, quàm scurrilibus & nugatorijs ratiunculis, quas nimium depereunt hodie vel multi, qui veræ sapientiæ*

sapientiæ sectatores meritò esse, alijsque prælucere debebant. Sed eamus nos ad naturæ librum,

Ecce in volucribus, Exempli gratiâ, gallinis ad maturam ætatem provectis, ut ova integra & vera pariunt, etiamsi nondum unquam commercium maris agnoverint. Nec quicquā materiæ accedit seminalis ex mare. At infœcunda sunt & irrita ova, nisi congressus galli accedat, quo fœcundantur ova jam confecta & integra: Vt ita mas efficiens revera sit, fœmina materia & patiens; unde etiam Philosophus lib. I. de generat: animal. c. 21, ait: Quapropter nonnulli ex ijs, qui ut gallinæ generosæ procreentur, operam dant, ita mutatis admissarijs faciunt, tanquam non misceantur, constitutionemque subeat semen, neque omni ex parte venerit, ex ambobus enim venisset. Itaque bis partes easdem haberet, sed sua facultate semen maris materiam contentam in fœmina, & cibum qualitate quadam afficiat.

In generatione oviparorum piscium haut diversum quivis etiam plebejus observare potest, & observant continuè piscatores, aut qui piscium naturam aliquo saltem modo cognitam habent. Vide Aristotelem lib. 1. de generat: animal. c. ult. Plinium lib. 9. c. 50. Rondeletium lib. 4. c. 3. Pisces ova colligunt, continent, atque ad integritatem perducunt; at infœcunda sunt ova, nisi justo tempore marium accedat congressus & quasi afflatus, ut vim inde concipiant, & ova fœcundentur. Nam cùm fœmina ova deposuit, mas deinde illa semine conspergit: quæcunque id attigerit, vitam assumunt, reliqua verò irrita & à maris calore orbata contabescunt; quia masculinum semen activam facultatem ad generandum possidet, & quasi non ad quantitatem mas conferat, sed ad qualitatem, ut inquit Aristoteles. Interim quæ raro contingunt, contra universalia præcepta obijci non debent: Vt cùm in nonnullis pisci-

bus marem dari, ambigit Aristoteles lib.6. de historia animalium, c.73. & cùm Rondeletius Erythrinos & channos omnes asserit esse fœminas. In his enim extraordinariè confusus esse potest & indistinctus sexus? quod ordinariè in plantis est. In bombycibus sive vermiculis, sericum conficientibus, id ipsum accuratè & diligenter inquisivimus; atq; in Italia multis ad oculum demonstravimus. Ejusmodi enim bombyces magno numero in museo nostro aluimus, ut totum annuum eorum cursum observaremus, variasq; metamorphoses, quæ in his animalculis animadversæ mortales ictu admirationis non levi percutiunt. Ejusmodi, inquam, bombyces folliculis suis perforatis egressas, & nunquam adhuc mares passas dissecuimus, atq; plenissimas ovorum integrorum & quoad corpulentiam perfectissimorum invenimus. Alias verò maribus adjunximus, quibus cùm tempore aliquo (ut fieri adsolet in his animalculis) adhærebant congredientes: postea verò simulac ova aliquot excluserunt, subitò sectioni subjecimus; & ova haut aliter se habuisse, ac in reliquis dissectis mares nondum passis, deprehendimus. Quia nimirum mares non dant nisi vim & efficaciam, suntq; loco efficientis: at fœminæ solùm materiam perfectam suppeditant.

In insectis, quid eveniat quamplurimis, ipse non ignoravit Aristoteles, ut patet ex lib.1. de generat. animal. cap.21. & 22. Nam in insectis mares nonnulli per coitum semen non immittunt, nec membrum ullum in fœminam indere visuntur; sed è contra fœmina particulam sui quampiam inserit in marem, & veluti materiam ad opificem adhib t: in quam deinde mas vapore quodam (loco seminis) vitæ facultatem conjicit. Ideo diu coit hoc genus animalium, absolutumq; brevi generat, quia imbecillem habet vim procreatricem, & universi corporis calore & spiritu generat. At in perfectioribus animalibus mas tanto facultatis robore præditus est, ut cùm de

se vim

se vim quandam cum semine in fœminam immiserit, possit ita absens sobolem gignere.

Atq; hæc omnia probationis primæ & primariæ loco sint posita. Reliqua argumenta, quæ adducemus, si non necessariò, probabiliter tamen & cum veri similitudine colligent.

II. Vnum convenit esse principium, non duo, cùm in uno consistere videantur quasi omnia: Nec *verisimile est, utrumq; semen habere rationem efficientis. Sed in animalium procreatione putandum est aliquid esse ut materiam, aliquid ut efficiens; & officium agendi & patiendi subjecto distingui: non enim idem sunt agens & patiens seu subjectum.* 2.

Quare cum masculi sit agere, fœminæ erit pati, & materiam subministrare. Hinc Aristoteles ipse fœminam materiæ comparat, & virum formæ, dum inquit; Materia appetit formam, ut fœmina virum.

III. Ex duabus speciebus cùm quid generatur matrem imitatur fœtus. Similitudo enim speciei quia materiam maximè sequitur, matrem potiùs quàm patrem repræsentat. Vt ex capra & ariete pronascitur hircus vel capra; non ovis. Ex cane & lupa animal exsurgit, quod semper magis matrem facie, cauda &c. refert. 3.

IV. Et ideo semper plures fœminæ ordinariè generantur in omnibus ferè animalibus, quàm mares: uti exercitatione primâ problemate secundo ostensum est. 4.

V. Taceo jam in humano genere sexum fœmininum à plurimis statui, & exemplis varijs probari molam ex se generare etiam absq; viri agnitione; quæ materia, quia fœcundante viri virtute caret, non vivificatur. Fernelius aliquot in locis testatur rudiores molas mulieres concipere, 5.

aliquando vi proprij duntaxat seminis, nullo viri concubitu. Sic & alij autores. Sed hæc, ut controversa, mittimus.

7. *VII. Si fœmina semen habet fœcundum, poterit citra maris congressum gignere, hoc est, si vis activa in semine mulieris consistit, ex se ipsa poterit procreationem efficere. Atqui hoc est contra experientiam. Ergo illud falsum fuerit.*

Objectio. *At dices; imperfecta est virtus materna, & sociam sibi paternam asciscere cogitur.*

Solutio. *Atqui respondemus: Cùm duæ partiales causæ ejusdem speciei ad unum effectum concurrunt, poterit aliquando unius virtus intendi & crescere, ut sola eundem effectum producat. Sicut si duo equi currū trahūt, tractu quatuor graduū, ut alteruter partialiter trahat, tractu duorum graduū, fieri equidem potest, ut unius tractio intendatur ad quartum gradum saltem alterius fortioris equi, ut absq; ope alterius currum trahat. Cur ergò non similiter excrescit virtus materna, activa si esset, ut sola procreet, præsertim cùm dentur fœminæ multæ nonnullis viris calidiores & fortiores?*

8. *IIX. Verisimilis redditur nostra sententia ex adversariorum illâ concessione, quâ maris semen majorem agendi vim & efficaciam habere largiuntur, fœminæ verò minimam, & patiendi, instar materiæ maximam.*

Sed in quem finem, quæso, vis illa exigua activa fœminino semini tribuitur?

Contradictio in Fernelio. *Hinc etiam haut rarò contradictionibus sese involvunt; quod unius Fernelij exemplum manifestat.*

Ita

Ita enim ille libro 7. de procreatione hominis capite 1. Fœmina corpus & materiam, mas animam & speciem confert. Est enim mas, à quo motus, procreationisq; origo manat; Fœmina, quæ materiam segetemq; subministrat. Quapropter mas id animal, quod in altero gignit: fœmina verò, quod in se ipso.

At capite 6. sibi contrarius ait:

Id autem (fœminæ semen) vim habere procreantem & fingentem, inde colligitur, &c. Et paulò post: Ergo semen, quod de mulieris partibus similaribus decessit, ad similium partium effectionem & conformationem vim quandam obtinet, tametsi ea profectò minor est & infirmior, quàm quæ à maris semine confertur. Ita alijs in locis varijs communem opinionem tuetur.

PROBLEMA II.

Herba rorida an in pulmonum affectibus utilis?

Herba rorida alijs Ros solis dicta, item Rorella, salsirola, &c. in pthisicis, aliisque similibus pulmonum affectionibus à multis admodum commendatur & usurpatur, tum crasso modo exhibita, tum Chymicis & debitis tractationibus præparata.

Non desunt autem, qui ejus usum in ejuscemodi Casibus simpliciter damnent, hac commoti ratione; quòd caustica virtute polleat. Nam tusa una cum salis nitri grumis cutim rumpit, admota ob pyroticam, quâ donata est, facultatem.

Ros solis cur à non nullis improbetur in pulmonum affectibus

 Hæc

Contraria sententia probatur. *Hæc quanquā ita se habeant, tamen usus ejus ob causam allatam nullo modo proscribendus est. Nam I. non adeò in-*
1. *tensè causticam virtutem possidet.*

2. *II. Multa extrinsecus urunt, & vesicas inducunt, quæ intus sumta nequaquam nocent; sed plurimum potiùs emolumenti adferre poterunt.*

Si quis miretur, cur adurentia intus sumi simpliciter possint absq; damno, Galenum adeat, qui hujus rei sufficientes reddidit rationes, dum inquirit, cur vesicantia ut allium &c. extrà urant, intus verò non noceant. Quæ hûc transferre hautquaquam opus esse videtur.

3. *III. Imò in ejuscemodi pulmonum affectibus talia desideramus medicamenta, quæ vi urendi nonnihil prædita sunt. Ita enim præstantissima sunt Medicamina: petum (& ex hoc confectus syrupus, aut oxymel) Erysimum (& ex hoc syrupus factus Lobelij) allium, cæpa, radix Dracunculi, Pancratium, ruta, Scylla, Sinapi, atq; alia acria, quæ extrinsecus adhibita ex alto trahunt, exulcerant, crustas inducunt: assumta verò non ita interiora arrodendo impetūt: verùm humores excrementitios, quibus scatent pthisici atq; nonnunquā suffocantur, pituitosos & viscosos extenuant, & incidunt; ultera exsiccant, & à putredine vindicant; caloremq; nativum inde obrutum, & animi vigorem revocant. Sic in pulmonum talibus affectibus quid præstantius sulphure, croco &c?*

PROBLEMA III.

Esula Adriatica an sit Turbith antiquorum? Esula quædam rara reperitur in littoribus & Insulis sinus Adriatici, ma-

xime

ximè verò in Venetorum Insula quadam exiguâ Lio appellata; neq; alibi eam facilè reperire licet: cujus descriptio videatur apud Lobelium.

Hanc nonnulli Turbith antiquorum esse arbitrati sunt, eò quòd similes in pituita per alvum exturbanda sortita sit facultates.

Veterum autem Turbith revera non esse, patet. I. Quia hoc ex Indorum Insula Dio Cambaja & Bazaim ad nos affertur. II. Turbith antiquum folia habet fermè Althea. Esula verò hæc rara quasi folia salicis.

Interim negari non potest, in purganda pituita pares cum vero Turbith effectus hanc Esulam moliri, adeoq; hujus radicem Turbithi veterum succedaneum haut inconvenienter esse posse, & Turbith Venetum, ut quidam non imperitus Botanicus voluit, appellari.



EXERCITATIO QVARTA

Respondente

DANIELE FABRICIO
Dantiscano.

PROBLEMA I.

Quot Sectæ Medicorum?



E numero sectarum Medicarum authores non consentiunt, neq; nos cum illis.

Galeni tempore tres notæ fuêre sectæ: dogmatica, methodica & empirica; *& hunc numerum sectarũ diu retinuére eruditi medici Galeni assecla.*

Hodie uno omnes ore quatuor constituunt: tres nimirum dictas, & spagiricam, *quam alij paracelsisticam â nomine cultoris ejus artis haud postremi vocitant.*

Nostra opinio est quinq; Sectas medicorum revera inveniri, de tribus enim prioribus Galeni ut nihil dicamus: duas dicimus nostro hoc sæculo, maximè si â dogmatica recedamus, tenere; Empiricam novam & Spagiricam. Quinq; sectæ Medicorum.

Putamus enim Empiricam modernam â veteri longè differre. Quæ omnia ut facilius intelligãtur breviter quælibet harum sectarũ declaranda fuerit.

Empirica vetus *quid sit, si Galenum consulamus, facilè ejus ingenium reperire licet. Ab experientia vel observatione dicebantur Empirici, quod eam solam in morborum curatione, ut sufficientem judicaverint, absq; ulla indicatione, corpo-* Secta Empirica vet9 quid.

risq; humani, causarum internarum, & facultatum cognitione iis ut imperitis potiùs quàm expertis, incomprehensibili. Ad curam vero prisci hi Empirici ex tribus fontibus remedia colligebant: Inspectione propriâ, historiâ, & analogismo. Et omnia remedia ad hæc tria capita referebant: fortuitum, Consultum & imitatorium; tandemq; ex signorum Syndrome quid agendum colligebant.

Empirica nova quid.

Empirica moderna, *quam novam vocare fortè licet longè à prisca illa distat, & inter omnes sectas medicas imperitissima, atq; ad orcum ableganda, cum authoribus, qui hodie proh dolor, nimio cum damno & pernicie humanorum corporum eam exercent. Videmus enim ubiq; homines adeò sanitatis suæ prodigos & negligentes, ut curam corporis sui committant Iudæis nonnullis, Carnificibus, Agyrtis, circumforaneis, monachis, Sacerdotibus, obstetricibus, & aniculis quibusvis etiam delirantibus, imò quivis ferè hodie talem vult se profiteri medicum, qui remedia ad quemvis etiam morbum, si Diis placet, ad ungnem pernoscat, hi inquam Empirici nostrates, á priscis longissimè discrepant, cum sine analogismo & experientia remedia observent, quando enim vident remedio aliquo hunc & illum ægrum sublevari, jam statim promoti sunt medici, & suam deprædicant experientiam: hunc & illum curatos esse hoc medicamento: ideoq;(liberaliter concludunt) omnes liberatum iri qui eo uti non recusaverint. Hinc tot ubiq; in foris & publicis plateis Agyrtæ Stentore clamosiores, quibus se committere non verentur homines etiam prudentiores qui haberi volunt, cum jactura non modo corporis, sed etiam animæ: quam inscii deperdunt si fortè pessundatur corpus blanditiis & mendaciis istorum nebulonum, quibus se volentes concrediderunt, non interim nescii, illos artem medicam haud callere, nec quidquam de corporis humanæ partibus,*

inter-

internis causis, facultatibus &c. cognitionis habere. Unde sapienter in Galliis civitates nonnullæ circumforaneos ejusmodi non tolerant, sed deprehensos cum ignominia & plagis eijciunt, ad civium conservanda corpora, imò &, uti dictum, animas.

Quid enim quæso temeritate plenius esse potest, quàm hæc deliria Empiricorum? hoc medicamentum in hac dosi unum atq; alterum liberavit, ergo & te & omnes sanabit. Exempli gratia, in hoc vel illo Cæphalalgiam removit; ergo idem fiet in omnibus.

Atq; idem medicamentum perniciosissimum esse potest aliis, si consideras diversam morbi causam, morbi mores, motus, alia symptomata, alias vires, diversitatem temperamentorum, ætatis, sexus, regionis, temporis, vitæ instituti, consuetudinis, habitus corporis, aliarumq; conditionum, solum prudenti medico cognitarũ. Exemplum sit, purgans aliquod validum in magna dosi do viro robusto, phlegmatico, & ad purgationẽ difficili, ex Dania vel Noruuegia oriundo &c. consideratis omnibus propinatũ pharmacũ in hoc subjecto, hoc loco, hoc tempore &c. rectè operabitur. Videns Empiricus vel alius Imperitus egregium successum, describet remedium, servabit, aliis indiscriminatim propinabit. Iam certè occurrere ipsi subjectũ tale potest, quod si adeo temere hauriat, in manifesta pericula & ipsam mortem præcipitabitur. Hi ergo nostri sunt Empirici. Quid? hoc nomine indignissimi sunt, Nam ut constat ex Philosopho lib. 1. Metaph. & lib. 2. post. anal. experimentum est ex multis memoriis, vel, quod idem est: multæ memoriæ sunt una experientia, ex qua deinde universale in anima fit, memoria vero ex sensu. Vnũ cogitare deberẽt Empirici, quod inquit Horatius Augenius, vir medicus præstantissimus: Multa fiunt, quæ diversã habẽt causam, quam vulgò creditur: atq; ad experientiæ habitum non unum vel alterum

experimentum, ſed hominum fide dignorum, magni Iudicij, & prudentum longa obſervatio requiritur.

Secta Methodica quid.

Tertia Secta methodica e. falsò â ſuis authoribꝰ ita vocata, ab artis cōpēdiariā ratione, Experientiā, noticiā item loci affecti, cauſarum facultatum & ſimilium, reijcit. Solam indicationem ab affectu ad curationem ſufficere arbitratur. Definita eſt ab ijs hæc ſecta, cognitio evidentium communitatum (quibus ſolis utebantur) finem medicinæ ſequentium. Nam tria hæc communia in morbis, tantummodo reſpiciebant: adſtrictum, fluens, & ex his compoſitum. Hisq; utilem indicationem, laxationem, adſtrictionem, & maximè urgenti obviationem. Præterea in alijs ſectis multa innovare lubido fuit, plurima ut aliena & ſuperflua reijcere, ideoq; contra ſummum Hippocratem aſſerere, vitam longam, artemq; medicam brevem, ac ita facilem, ut tota ſex menſibus diſci poſſit. Quibus hodie in Philoſophiâ perſimiles ſunt Ramei, præſertim vero Lulliani.

Alpinus.

Hanc ſectam nuper reſtauravit vir præclariſſimus, Proſper Alpinus, Botanicus Patavinus, Præceptor noſter & fautor honorandus: qui de ejus reſtitutione integrum volumen conſcripſit, quod brevi in publicam lucem, uti nobis narravit, prodibit.

Secta dogmatica.

Quarta inter Empiricam veterem & methodicam media eſt, cum experientia rationem conjungens, unde rationalis dicitur & dogmatica, & ob Galenum, ejus patronum præcipuum, Galenica: hodie familiam ducens in reliquis: nam ubiq; ſtipendijs maximis â Regibus, Imperatoribus, Principibus, & Rebuspub. ejus cultores cumulantur.

Hæc ſecta aliqua ex obſervatione utilia deprehendi vult, ut deleteria & nonnullorum medicamentorum vires: aliqua vero ex indicatione, quorum videlicet cauſæ reperiuntur. De qua ſecta nihil amplius, cum ejus dogmatibus omnes hodie libri medici ſcateant.

Spagirica secta.

Quinta

Quinta spagirica dicitur: quia Alchymiam spagiricam primus vocavit Theophrastus Paracelsus, teste Zuuingero ἀπὸ τοῦ σπᾶν quod vellere vel divellere significat & ἀγείρειν congregare: quod in solvendo & coagulando maximum videatur negotium consistere. Alij Hermeticam vocant, ab Hermete illo Trismegisto. Alij paracelsisticam, ob Paracelsum ejus cultorem industrium.

Hermes.

Paracelsus

Verum si de artificiosa medicamentorum præparatione sermo est: ante Paracelsum Spagirici veteres eximij viguerunt: Avicenna, Geber, Rasis, Villanovanus, Morienes, Rogerius Baccon, Lullius, Isaeus Hollandus, Trithemius, & alij.

Chymici ante Paracelsum multi.

At in medicinæ constitutione, imò Philosophiæ totius, Paracelsus novam excogitavit sectam, reijcens veterum omnium Principia & Causas. Nova principia excogitavit, Causas & affectiones, sumpto fundamento. 1. ex operationibus Spagiricis, seu libro naturæ. 2. ex harmonia & similitudine partium & vicissitudinum in μάκρῳ & μικροκόσμῳ. Cui ceu maximo fundamento innititur doctrina Paracelsistica, proque confesso & concesso sumit eandem semper & ubique esse rationem in toto mundo & in homine. Sed hæc omnia uberiùs declarare, consilio supersedemus.

Sed quærat nunc aliquis: Ex tot propositis sectis quænam ineunda? Nostrum quidem non est illud hoc loco voce prætoriâ decernere. Vnum saltem monemus, præcepto Galenico pareant omnes, volenti, quod hic â patre suo admonitus, ne esset ullius addictus jurare in verba magistri. Et illud ipsum in scriptis suis abunde inculcavit, etenim Libertinos illos vocat qui addicti sunt authoritatibus, item tyrannicam eorum doctrinam & reprehendit sumopere eos, qui se Praxagoreos, Hippocraticos &c. appellitant. Vnde ipse Galenus reijcit

Dubium.

ſæpè aliorũ ſentẽtiis, ut Hippocratis, Platonis, Ariſtotelis, Chriſippi: quia ipſi veritas curæ magis cordiq; fuit.

Quod diſcant ex Galeno, qui in arte medica Galenici tantũ audire volunt, ejusq; authoritate ad ignaviam magis quam diligentiam viam ſibi ſternere adlaborant. Præſtitit verè multa in medicina Hippocrates, multa Galenus, multa & alij. Cuiq; ſua laus debetur, & imitatione omnes digni ſunt. Vbi vero aut â vero diſcedunt, aut nonnulla non ſatis explorata habent, alius etiam ſuum faciat officium, & veritatem, quâ nihil antiquius eſt, quâ nihil ſtudioſiùs inquiri debet, ſectetur & tueatur.

PROBLEMA
II.

Peſtis an nonnunquam ex aſtrorum influentijs oriatur?

Affirmatur.

Peſtis Cauſæ. *Dira lues peſtifera, flagellum divinum ob humana peccata contextum, unde originem habeat, quandò â cauſis theologicis recedimus, anxiè quæritur. Ejus vero diſſeminationis variæ cauſæ ſunt: Victus prava ratio, uti ſæpè fit, in caſtris & annonæ caritate: aeris inquinatio: ſimplex contagium ex ægri afflatu, absq; aeris inquinatione vel aſtrorum influxu: meteora & exhalationes non diſſipatæ: pharmaca artificialia peſtifera: terror & imaginatio: præſertim vero diſpoſitio patientis peculiaris & occulta, qua alij faciliùs & citiſſimè, alij difficilius, alij planè non venenum illud peſtilens imbibunt.*

Quæ-

Quæritur autem an non etiam Cœlum vel cœlestia Corpora pestem causare possint? *Plurimi, qui ob artis Astrologicæ ignorantiam astris nullam vim & influxum tribuunt, aut si aliquem, saltem bonum, & qui artificum Astrologorum effata pro nugis & nænijs habent (quorum rationibus in Astrologia nostra satisfecimus) negativam tenent; nunquam videlicet ob influxum astrorum pestem oriri, aut oriri posse.*

Nos contrà arbitramur, non quidem semper, sed aliquãdo ob siderum influentiam, nullis præcedentibus manifestis causis, pestem pullulascere. Interim vero negatum non volumus, quod habet Hippocrates. 3. Epid. Com. 3. â textu 1. *ad* 10. *Gal. lib.* 1. *de differentiis febrium, cap. 4. Avicenna lib. 4. fen. 3. tractatu 4. cap. 3. manifestis etiam qualitatibus â Cœlo aerem ad pestem disponi, dum aeris temperatura â statu naturali ad Caliditatem & humiditatem nimiam convertitur: quæ causæ sunt præparantes ad pestem, non autem hujus veræ effectrices causæ. Sed hoc præcipuè assertum modo cupimus aliquando astrorum influxu & occultâ virtute mutationem aeri adferri pestiferam citra ullam manifestam causam, citra aeris putredinem aut dispositionem calidam & humidam.* Nostra opinio.

Quod quia pauci medici agnoscere volunt, breviter experientiâ ipsâ stabiliendum fuerit.

1. Guido Cauliacensis *in Chirurgia sua tractatu 2. doctrina 2. cap. 5. meminit pestis cujusdam suo tempore. Anno* 1348. *Avenioni adeo contagiosæ & perniciosæ, ut infecti fuerint, qui saltem intuerentur morbidos, & in variis locis, vix quarta hominum pars residua manserit.* Guido.

Hujus

Hujus pestis causam nullam aliã invenit, quàm ☌ ♄ ♃ & ♂ quæ præcesserat anno 1345 die 24. Martij in 14 gradu Aquarij.

Salius Fernelius.

2. Petrus Salius Diversus, & Ioh. Fernelius *contestantur hyeme mediâ nonnunquam cæpisse pestem, æstate solutam, sæpè ardentissimas æstatis, ab omni peste vacuas fuisse. Ita* Fernelius lib. 2. de abditis rerum causis cap. 12. Sæpè animadversum est æstatem ferventissimam nullum pestilentiæ genus pertulisse: interdum pestilentiam hyeme initium cæpisse, quæ æstate mediâ soluta sit. *Et paulo post:* Quin pestilens constitutio, hyeme ac æstate, sicco ac pluvioso Cœlo, benè temperato ac inæquali, plerumque citra graveolentem putredinem adeò obscurè & furtim invadit, ut nullo unquam sensu internoscatur.

Notabile.

3. *Huc spectat quod legimus apud Scriptores itinerum terræ Sanctæ, Ægypti, & adiacentium: septimo quoque anno recurrere pestem, quæ in tertium annum plerumque duret. Sic enim habet illustrissimus Radzivuill9 princeps Polonicus in suo de itinere terræ Sanctæ libro latine edito pag. 161.* Primo anno leviter inchoatur (pestis) cum sol ingreditur ♎ Maximè autẽ sævit in mense Decembri, Ianuario, Februario, Martio, quãdo calores remissiores, qui ubi invaluerint, cum Sol ♌ ingreditur, cessat pestis, & ita ut si quis apostema pestiferum habuerit & supervixerit ad horam ingressus præfati signi cœlestis, omne periculum evadet.

Ex his nolentes volentes fatebuntur omnes astrorum dispositionem non adeò ab omni vi & efficatia orbatam, ut putant

putant quidam præsertim Astrologiæ ignorantes osores.

4. Fuerunt aliquando pestilentes constitutiones, quæ orbem fermè totum aut magnum ejus partem afflixerunt. Cui amabo Causæ adscribes; nisi cœlestibus corporibus? ab homine contagioso in tot regiones derivari ridiculum esset dicere. Neq; aer in tot locis à manifestis causis disponi potuit, cum admodum differant qualitatibus diversæ regiones.

Quæ vero inter astra maximè in causa sint, an Saturnus percurrens ignei trigoni δωδεκατημόρια, an aliud sidus, hoc loci nobis investigandum haud fuerit. Obtinere solum voluimus An sit, non Cur sit: an nimirum ex influxu astrorum aliquando pestis nascatur. Quod clare & contentè adstruimus.

PROBLEMA III.

An peste, vel febre pestilentiali correptis Sanguis mittendus?

N.

Pestem à febre pestilente distinguimus, quandoquidem febrem non semper comitem habet pestilentia. Sive autem cum febre sit s. sine febre, lues est, vel hosti miseranda, medici opem absq; omni mora requirens. Et quia periculum in mora, jam antea edoctus esse debet medicus, quid aggrediendum, neq; potest invasionem morbi an-

cipiti Consilij lance multa deliberanda. Quæritur autem, an ijs qui jam correpti sunt peste vena secanda sit, & sanguis evacuandus.

Affirmativam tuetur Ruffus, Aetius, Ægineta, Celsus, Avenzoar, Avicenna & alij, atq; ex recentioribus etiam nonnulli. Atq; hi varias in classes distribui possunt.

I. *Prima classis eorum est; qui simpliciter volunt mittendum statim sanguinem in peste sine mora, in prima invasione, putant enim in peste magnâ exsiccatione opus esse, quæ per phlebotomiam procuratur.*

II. *Secunda Classis eorum est, qui non tantum in invasione statim mittunt, sed simul propinant alexipharmaca, & Cucurbitulas partibus glandulosis admovent.*

III. *Tertia. Quidam ad animi deliquium mittunt,*

IV. *Quarta. Alij non statim in principio phlebotomiam instituunt, sed expectandum volunt donec maculæ & tumores appareant.*

V. *Quinta. Quidam restringunt communi determinatione phlebotomiam; eamq; instituendam esse ajunt, si plethora adsit.*

Negativam nos tuemur, planeq; non esse mittendum Sanguinem in peste pronunciamus cum Andernaco, Montano, Langio, Gesnero, Donselino, Bellocato, Frisimelica, Roderico Fonseca, Ioh. Antonio Sarraceno, Foresto, Platero, Palmario, Lemnio, alijsque eruditissimis, *& experientissimis authoribus.*

Volumus

Volumus autem phlebotomiam præservationis causa institui posse in corpore plethorico, antequam peste corripiatur, non verò in jam infecto. Nam

1. *Phlebotomiâ venenum agitatur, & magis per corpus diffunditur, atq; ita contagio via ad Cor sternitur, cum potius contrarium naturæ motum facere debeamus, & venenum a centro ad circumferentiam quaqua versus per sudores evocare. Sic in bubonibus venereis, si phlebotomia instituitur aut etiam purgatio, materia insuppurabilis redditur & intrò revocata luem veneream deteriorem efficit.* Non esse secandam venam in peste probatur. I.

2. *Venæ sectio vires deÿcit, quibus maximè opus est ad atrocissimum hunc superandum hostem. Et quamvis sæpè validæ videantur vires, tamen insperatò & subitò deÿciuntur.* II.

3. *Pestilentia non fit â plenitudine, sed occulta malignitate: ergò phlebotomia auxilium ferre non potest.* III.

4. *Experientia hîc optimum præbet argumentum, cui qui fidem habere renuit, cum ratione insanit. Citati autem authores omnes suas experientias afferunt, & disertè affirmant, peste correptos ut plurimum obÿsse, quibus sanguis detractus, alios vero, quibus non effusus, evasisse.* Felicem Platerum, *Medicum hodie Germaniæ imò totius Europæ experientissimum, hoc publicè narrantem Basileæ audivimus.* Paræus *de peste cap. 24. suo & aliorum Medicorū atq; Chirurgorū in Gallia testimonio confirmat* IV.

tempore pestis ab omnibus observatum, omnes infectos, qui phlebotomiâ & purgatione usi essent, interiisse, aliquos quibus sola alexiteria data, evasisse. Hoc præterito autumno, peste nimiopere Basileæ grassante, illos obiisse, qui phlebotomiæ se subjecêre, secus quam qui neglexêre, quidam fide dignus narravit.

Experientiis ergò sistandum concludimus, in peste curanda, Sanguinem non mittendum esse, sed potius statim & continuè ad alexipharmaca confugiendum, tanquam sacram anchoram, cum nulla manifesta qualitas, calida, frigida, sicca, humida, aut composita, neq; putredo pestis Causa â veris Philosophis & Medicis dici possit, sed peculiare & occultum venenum cordi infestum, & subitò iugulans. Vnde etiam Myriadibus medicamentorum hac vel illâ qualitate manifestâ præditorum, nisi vis insimul alexiteria accedat, nihil proficimus.

Contrar. Opiniorũ elisio

1. *Quo ad contrarias ergò opiniones; peccat prima classis, dum negligit antidota, item dum indiscriminatim sanguinem statim mittit: quod non faciendum, si natura maculas & tumores propellit. De exsiccatione quod dicebatur, in peste eâ opus esse, respondemus, eam in præservatione quærendam, in curatione vero malignitatem compescendam, ne antequam exsiccare possis, homo moriatur. Neq; adeò de manifestis istis qualitatibus solicitudo habenda est, cum facilè si intemperiem contraxerint, postea corrigantur, evictâ veneni atrocitate.*

2. *Secunda Classis ostendit ipsa, phlebotomiam periculosam esse, aut saltem non magni momenti: quia reliquum apparatum, qui præstantior, instruit.*

Tertia

Tertia omnium deterrima est. Virium enim robur deijcit, & hosti manus auxiliares porrigit. III.

Quarta refutatur isto Hippocratico in acutis: Si quid movendum, in initio move. IV.

Quinta etiam non recipienda. Neq; enim in plethora mittendus sanguis quando adest contrà indicans, plus valens in prohibendo, quam indicans indicando. Ad illud autem, quod magis urget, semper primò est attendendum. V.

Quapropter nihil præstant per se in peste, quæ exsiccant, quæ evacuant &c. sive sit phlebotomia, sive purgatio, sive diæta &c. sed primariò operantur alexipharmaca.

PROBLEMA IV.

An ad præservationem pestis motus, ut choreæ &c. conducant?

Affirmatur.

In peste nullum motum concedendum plurimi decernunt, & inprimis choreas interdicunt, ac si hæ peculiariter corpora ad recipienda semina pestifera disponerent, aptioraq; redderent.

Motum in peste fugiendum quomodo probari possit.

Potest suaderi hæc opinio his rationibus.

1. *Per motum vehementem aperiuntur spiracula corporis, & ita ingressus facilior est veneni pestiferi.* I.

2. *Per motum incitatur respiratio, & avidius hauritur aer, qui si inquinatus est, copiosius attrahitur.* II.

III. 3. *Motus humores agitat & spiritus: atq; ita uti phlebotomiâ, viam veneno ad Cor sternit.*

IV. 4. *Celsus, licet motum concedit ad præservationem pestis, tamen fatigationem & sudoris profusionem prohibet.* Et Fuchsius *Magistratus edicto tempore pestis voluit prohibendas choreas publicas.*

His rationibus moveri possent, qui motum adeoq; choreas interdicunt.

Gardo cõtroversiæ. *Sed ut nostra sententia, quæ huic contraria est, rectiùs percipiatur, sciendum, nos quæstionem non instituere simpliciter, an in peste motus magnus concedendus: sed an ad præservationem pestis conducat motus, sive per choreas fiat sive alio modo.* Nostræ sententiæ explicat *Nos â parte ajente stamus. Locus vero exercitij debet esse purus, & procul à malignitate. Tempus sit post meridiem, quando aer radijs solaribus repurgatus est: aere vero nebuloso domi manendum. Forma sit ambulatio, gestatio, equitatio, vectatio &c.*

Celsus enim ad præservationem pestis rectè injungit motum, ita ut præceperit gestandos, vel navigio vehendos, qui ambulare nequeunt. At terminum, quando constituit moderatam calefactionem non assentimur. Sed

Thesis *Dicimus contrà Celsum & Fuchsium, bonum esse ad sudorem moveri, aere & loco puro: quia pori aperiuntur, super-* Probatio. *flua humiditas exhalat, & corpus ritè exsiccatur, magisq; purum redditur. Temperamenta autem sicca ad pestem minus esse disposita, omnes largiuntur. Quamvis enim præcipua pestis causa sit occulta illa venenataq; malignitas, & occulta quædam cordis debilitas recipiens, tamen si concurrit etiam nota dispositio ex pravorum humorum colluvie venenum facilius radices agit & augescit, illiq; ægri & facilè corripiuntur*

& fa

& facilè intereunt: ut liquet in prægnantibus, virginibus nubilibus, &c.

Ad Argumenta ergo adversariorum respondendum.

Primum, secundum & tertium, militarent, si statueretur motum vel exercitium fieri posse in loco & aere impuro. Tum enim verum esset, aerem pestiferis seminarijs hinc inde refertum post motus copiosius per tracheam ad pulmones attrahi, cordiq; communicari, nec non per cutis poros densius ad Cor contendere. Vnde etiam in loco & aere impuro qui vivunt, habentes cutis spiracula ampliora & patentiora, ut, qui corporum sunt molliorum, item post balnearum usum, facilius & densius veneno contagioso inficiuntur. Contrariæ sententiæ refutatio.

Ad quartum & ultimum licet authoritates cum de rei veritate disquiritur, parum roboris habeant: tamen Celsum forte excusare posset aliquis, quod nimis meticulosus fuerit, & aliquid tamen concesserit, quod alij non concedunt. Fuchsius vero excusabitur, quod si dicatur eum prohibuisse saltationes in urbibus ubi aer impurus & cum personis infectis.



EXERCITATIO QVINTA

Respondente

DANIELE COSCHVVICIO
Lignic. Sil.

PROBLEMA I.

An in vulneribus â globis tormentarijs factis eschara revera adsit?

Negatur.



EX vehementi contusione â globulis facta sphæricis bombardicis in vulneribus quædamq. crusta apparet. Sed an vera crusta vel eschara sit, haut immeritò dubitatur. Nos negativam tuebimur, dicentes â nonnullis autoribꝰ impropriè & abusivè in ejusmodi vulneribus escharam appellari. Quando enim maximo impetu globi feruntur, & contactas partes lacerant, divellunt, contundunt, & atterunt. Statim eas sanguine & spiritu vitali privant: unde langvescunt, livescunt & emoriuntur, ut quasi crustam referant. At propriè non est. Nam 1. si vera eschara, dura est & solida: 2. estq; caro combusta, cui vel ignis admotus fuit, vel ignitum instrumentum aut potentia adurens, quale nullum de globo bombardico emisso dici posse postea probabimus 3. In vulneribus istis sclopotarijs sangvis profluit modo in majori, modò in minori copia pro partis læsæ natura Atqui adurentia, ignita, & crustam generantia sangvinem sistunt

Cur crustæ appareat in vulneribus âsclopeto factis

Non esse propriè Crustam probatur.
1.
2.

atq; compescunt. Interim non plane magna copia sangvinis profluit, siquidem ingens carnis contusio sangvinem repulit attritione partis: Atq; ille sangvis ad vulnus inde recurrens sua copia tumorem repentinum facit, & ob immodicum humorem intrita carne collectum sæpe partis fit corruptio & sphacelatio, quod in magnis etiam contusionibus licet advertere.

4. *Vulnera à globis illata à peritioribus Chirurgis non ut adusta vulnera aut aliquo modo ab igne affecta curantur, sed ut à re adhærente & contundente facta.*

5. *Quin imò etiamsi ignitus esset globulus, cum momento partem pertranseat, non uret aut crustam inducet uti liquet in pertractantibus carbones aliasvé res ignitas. Sic si partem aliquam adurere animus est, non momento, sed tempore aliquo ferrum candens partem tanget. Quamobrem multo minus plumbum tam cito escharam procreabit.*

Conclusio. *Quocirca à projecti globi contusione nulla vera generatur crusta qualis ex cauteriis relinquitur, sed nihil aliud, quam attrita & emortua quædam caro, præsertim cum globus ignitus haut dici possit, quemadmodum ex sequenti problemate manifestum evadit.*

PROBLEMA II.

An globus ex bombarda vel sclopeto emissus ignitus sit?

Negatur.

Ab ignis violentia impelli globum tormentarium dubium nemini esse potest: an verò propterea ignitus sit & dici debeat non ita apud omnes extra contentionem positum est.

Nega-

Negativa ob sequentes munitiones nobis arridet.

1. *Non tamdiu moratur globus in bombardico pulvere accenso, ut ignem concipiat.*

Qua ratione ergo ignietur?

2. *Totus pulvis in sclopeto comburitur, aut si extra illud aliquid, certè parũ: quomodo itaq; calor erit in sphærula tantum qui ustionem faciat, cum sæpe ad ducentos admodum passus mittatur?*

3. *Institutum nostrum hac experientiâ confirmabitur: ceream sphærulam loco plumbeæ cum pulvere pyrio sclopeto inde: atq; emissa nec liquescet, nec incalescet, & partes tamen ad quas perveniet vehementer lædet, adeò ut, si lignum attigerit magna in eo contusionis futurum sit vestigium. Imò resiliet sphærula nec adhærebit ligno, qui utiq; fieret, si liquida facta ab ullo vel aëris vel pulveris accensi calore fuisset?*

Experientiæ variæ & veræ globulum bõbardi emissum non esse ignitum.

4. *Loco plumbeæ sphærulæ accipiatur charta digitis vel dentibus contusa, emissa â bombarda non comburetur, & male tamen adficiet partes, quas contingit.*

5. *pulveris pyrij quantitas aliquâ chartâ involuta & arbori appensa â sclopeti globulo emisso sive eminus, sive cominus, si tangatur nunquam accendetur pulvis aut comburetur. Quanto minus ergo caro aduretur & cauterio adficietur?*

6. *Sic acervo pulveris tormentarij satis magno contegatur sphæra bombardica, pulvis accendatur, illicò globulus contractetur: & non adeò intensus percipietur calor.*

7. *Sic manu sustine statum globum atq; emissus est, & quin diu commode atq; sine periculo continere quaeris, calor non prohibebit.*

8. *Plumbum colliquatum bombyci superpositum ne minimum quem evus floccum uret. Membro alicui admotum bullas excitabit, non aduret. Est verò colliquatum, quamvis humidum tamen non colliquato perfidius.*

9. *Si ignitus est globus emissus cur vestimenta, quae tangit & penetrat non accenduntur?*

PROBLEMA III.

An setaceum frigidum ignito praeferendum?

Affirmatur.

Locus fontanellae in occipite.

Setaceum unde dicatur.

Inter fonticulos ordinaria fuit plurimum imprimendos unus est, qui in imo seu occipite fieri solet inter primam & secundam vertebram, vel inter secundam & tertiam alijs etiam inter tertiam & quartam. Quia vero antiquitus fumiculus ex seto fiebat & cutim colli pertransibat, vocarunt hoc auxilij genus setaceum, & setamon quod nomen adhuc hodie retinemus, licet non amplius ex seto, sed ex serico hodie chordam faciamus.

Modi faciendi setacium tres.

Modus novus Guillemaei & Fabritij

Locus verò hic in occipite tripliciter aperiri potest 1. *Cauterio potentiali. Quisquidē modus nobis maxime placet ceu tolerabilis & minus dolorificus, licet non non desunt, qui improbent.* 2. *ferro ignito communiter utuntur Galli, maximè vero Itali.* 3. *Aperitur locus absq; cauterio actuali vel potentiali, ferro frigido qui modus Gallis quibusdam chirurgis in usu fuit. Eum verò scriptis publicatū primum nobis reperire licuit apud Iacobum Gullemaeum in sua Chirurgia Gallico sermone conscripta. Postea hunc ipsum modum legimus*

Gulama-

Gulæmæum Fabricium Hildanū Chirurgum Germaniæ insignē Cent. obser. & curat. chirurgm. obs. 40.

An verò hic modus Gullemæus & Fabricius præferendus sit secundo, qui fit par cauterium actuale nunc quæsitum nostrum est. Pro affirmantibus nos stamus cum Fabricio. Nam 1. Candens ferrum nimium horrorem & metum incutit ut præ hoc quam plurimi mortem eligant. 2. Cauterium actuale partem nimium siccat & roborat, cum potius humectanda sit & debilitanda in quam derivandus defluxus quo facilius quod influit attrahat pars & recipiat. Quæ omnia cum non eveniant ex ferro frigido, quis dubitabit hoc ignito anteponere.

Quæstionis pars aiens probatur.
I.
II.

PROBLEMA IV.

An in syncipite cauterium faciendum?

A.

In syncipite ubi sutura coronalis sagittali committitur an utile sit & necessarium aliquando cauterium moliri utile certè & necessarium fuerit pervestigare. Tantæ eum hisce temporibus hac de quæstione dissensiones, ut etiā in partem negātē simpliciter cōcedere viri doctissimi non dubitaverint. In quibus videtur esse Iohannes Baptista Montanus & reverâ sunt magni hi duo viri Hieronimus Mercurialis & Fabius Pacius philosophus & Medicus Vicetinus excellentissim9, fautor noster sigularis. Quorum ut & aliorum rationes, certe non spernendas proponere & examinare aggrediemur; si prius partis affirmantis, quam nos tuemur fundamenta & rationes breviter & dilucide quantum fieri potest, & quantum nobis ingenilum nostrum atq; memoria suggererere ex tempore volunt in apricum producamus. Itaq;

Montanus
Mercurialis.
Pacius.

1. I. *Existimo naturam quasi manu ducere nos voluisse & viam monstrare cauterio inurendo sincipiti, ubi etiam à veteribus sartago candens applicari consuevit. Rhasis 9. ad Almāsorem. Nam eo in loco ubi sagittalis cum coronali jungitur, & circa verticem veluti hiatus seu fovea observatur (Arabibus Zeudech, aliis Fontanella, aliis à madore & pulsu fons pulsatilis: & Germanorum aliquibus foliolum dici Volcherus adnotavit) quando ossa nondum rectè creverunt in infantibus aut induruerunt & concreverunt. Estq; is locus, qui ultimè inter omnia ossa induratur & in os convertitur, quod paulatim & tarde fit, adeoq; hoc os Aristoteli ὑςερογενὲς dicitur cujus descriptionem & figuram egregie nobis reliquit magnus ille Germaniæ Anatomicus, Casparus Bauhinus, Præceptor noster & fautor colendiss. in suo illo insigni & utili Theatro Anatomico l. 3. c. 6. & in fine operis t. 6. fig. 1. in ossium fœtus figuris.*

2. II. *Immo in adultis etiam hæc pars circa commissuram coronalis cum sagittali est rarissima, infirma, tenuis (& inde forte ut plurimum vulnera sincipitis lethalia) atq; transparens, inprimis utrumq; angulum, quem constituit sagittalis cum coronali, in omnibus, quotquot videre hactenus licuit cranijs, transparentem & tenuem invenimus (unde præstat cauterium fieri potius paulo supra suturam coronalem quam infra si præcisè commissura tangi nequit, uti & ob suturam, quæ superius habitat, hoc innuitur) partem vero ossis frontis vicinam commissuræ licet ut plurimum raram & tenuem, in multis tamen calvarijs secus deprehendere nobis licuit.*

3. III. *Naturam imitari, & pro virili adjuvare, Medici officium est indubitatum, quod, quando in desperato Ca-*

tarrho

tarrho revulsionis causa ab infernis ad superna rivulum ex purgaturum caput molitur & emolitur, egregie præstat, eo in loco ubi natura ipsa voluit cerebri excrementa exhalatione quasdam evaporare & efferri. Quamvis enim communiter & ordinarie naturam in corpore bene constituto per suturas tantùm fuliginum & vaporum subtiliorum egressum moliatur, non vero excrementa crassiora & humores lentos, tamen hos ipsos etiam in necessitate excludere eam posse, præter quam quod ex sequentibus quarta & quinta rationibus manifestissimum evadet, liquet vel ex naturæ in variis & infinitis ægritudinibus operatione, quâ varias inopinatas & in usitatas materiæ morbificæ exclusiones feliciter promovet, quas cæteroquin, quasi somnolenta, quia â nullo hoste provocata ordinario cursu non persolveret.

Etiam crassiora excremẽta per suturas exeunt.

Atque si ad primas â capite vertebras in occipite inusto cauterio, excrementis ejuscemodi evacuandis crassioribus locis patet (quod ipsi adversarij concedunt, imò magis ibi materiam catarrhosam evocari contendunt, quam in sincipite ubi suturæ) cur non multo magis ad coronalem? ubi natura manifestiorem monstravit viam per ossis tenuitatem, imò mollitiem in infantibus per suturas, per venulas (uti postea dicetur) & quotidianam in expellendis fuliginibus operationem.

In occipite vero quanquam cauterium inibi neutiquam damnemus, non modo nulla talis nobis á natura monstrata est via, nulla concessa manuductio; verum etiam intercludere magis illam viam voluisse eam videtur.

Arbitror

Arbitror namq; difficilius materiam crassiorem evacuandam egredi ex cerebro in spinalem medullam, ex hac per vertebras per musculos varios cervicis compactos & in se complexos, per varias crassasq; membranas: facilius vero ad coronalem, ubi patent quasi hiantia cuncta. Arte apertum est, integumentum Cranij totum constans cuticula, cute, pinguedine, panniculo carnoso, pericranio & perjosteo; natura postea in calvariæ suturas intus ex cerebro venas dedit. Quid manifestius & expeditius in evacuatione excrementorum etiam crassorum?

IV. IV. Vnde etiam in vulneribus capitis usq; ad cranij denudationem factis, experimur cottidie & sanguinem & pus calvariam penetrare & inferiora petere, ut opus sit cranium perforare (Barbarè trepanare dicunt) non, ut illi putant, quod aliàs nihil crassi per suturas expurgari possit sed ut patente orificio materiam, quæ confertim & copiosè affluxit, in partem nobilem, magis etiam consertim & copiose evacuemus, ne mora inibi diuturniore horrendos & desperatos generet affectus. Quod si itaq; cranio denudato excrementum crassius descendere potest, & magna saltem ex parte per suturas ad membranas, ad cerebrum penetrare, quod ipsi non inficiantur adversarij, sed his ipsis conceptis verbis agnoscunt: quid obstabit per eandem viam materiã, quæ intus foras vergere debet, educi? Nihil, opinor, unquam dabitur quod revera præpedire queat. Imò etiam ex parvo vulnere verticis, ut cutis vix læsa fuerit, neglecto ob exiguitatem in virgine quadam nobili exemplum habet Fabric. obs. 21. sanguinem sub cranio collectum & cerebri membranas inflammatione correptas, (unde mors subsecuta) cranio nequaquam læso, uti sectione deprehensum fuit.

V. V. Accedunt venæ illæ manifestæ, quarum aliquæ ex cerebro & meningibus pergunt in meditullium inter utramq;

cranij

cranij laminam porosum, venisq; & sanguine plenum aliquæ etiam in suturas intrant & per easdem exeunt. Et Hipp. lib. de vulneribus ait: sunt etiam in osse venulæ tenuiores & caviores, sanguine plenæ.

VI. Experientia si consulatur, licet pauci quidam suam contrariam opponant attamen certiorem & frequentiorem non reperiemus, quam excellentissimorum Patauij Medicorum, qui crebro cum successu usurparunt semper & etiamnum cotidie usurpant: præsertim magni illi duo Italiæ, immò totius Europæ Chirurgi, Hieron. Fabricius ab Aquapendente, & Iul. Casserius Placentinus, præceptores mei: quemadmodum ipse ego testis oculatus esse possum sciens prætereo alios, Italiæ & Galliæ Chirurgos, quorum experientias si recensere animus esset, charta & tempus deficerent citius, quam oratio. 6

VII. Authoritates in re momentosa probanda parum habent ponderis: plus probabilitatis quam necessitatis; ut fert loci earum, qui Topicus probabilis saltem est, natura seu. Interim præter eorum, qui experientias suas hac in re offerunt, autoritates notissimæ sunt Albucasis, Pauli Aëtij, Avicennæ & aliorum, quas in fidei præsidium advocare possumus. 7.

His ita bene perceptis neminem in Medicinâ & Chirurgiâ ita hospitem arbitror, qui non leviora, quæ adduci possunt aut excogitari in hanc sententiam argumenta, de facili solvat. Vera enim & diligens rei explicatio materiam præbet solvendi dubia omnia quæ circa rem illam occurrunt. Si quæ tamen graviora & difficiliora ab adversarijs torquentur, in hunc fasciculum colligo, statim dissolutionem subditurus. Hippocratem obijciunt, aliosq; autores & experientias, vulnera capitis omnia periculosa esse & illa in parte magis lethalia præcipuè ubi suturæ junguntur, & membranæ externæ cum internis: & uti pro se possent exemplo ante allato ex Fabricio, qui ibidem con- Objectio Neg

 cludit

cludit vulnera capitis quantumvis minima, præcipuè circa suturas, non negligenda esse, & ea in parte etiam contusiones facile ad cerebri membranas magno cum ægrotantium periculo extendi.

Responsio. *Respondemus Hippocratem vulnera intelligere inflicta ab armis & telis (ut ex ipso patet) quod sine ordine fit, sine arte summa cum læsione, contusione ruptura fissura, depræssione rimæ aut alio accidente malo. At quod à Medico infligitur vulnus artificiosè fit, cum judicio, & ordine &c. atq; in Medicinam cadit. Neq; ullum auxiliũ Medicum invenietur, quod non laceret, quod noxam animo & corpori non inferat, inquit, Sanctor. Sanctorius Medicus Venetus præstantissimus & Philosophus excellentissimus amicus & fautor noster honorandus in Methodo sua vitandorum errorum lib.13.c.10. Addit, Phlebotomia frangit vires, cassia ventrem perturbat. Celsus l.3.c. 9. in fine ait. Circumspecti hominis est & novare interdum & augere morbum & febres accendere &c. Magnum enim medicandi artificium in æquilibrio indicantium & indicatorum consistit, ut in omni casu indicantia & prohibentia trutinentur, quũ semper ei, quod magis urget attendere oporteat, illaq; auxilia eligere à quibus majus beneficium quam maleficium expectatur, immò omnia mala facere licet in necessitate, dummodo æger salvetur: sic in pituitosa febre spernimus morbum & prius causæ attendimus & exiccantibus utimur. In febribus malignis spreta febre, humorum cruditate & ægrotantis quiete, vesicatoriis uti non dubitamus nonnunquam Prob Deum immortalem, quæ vulnera infligimus periculosissima in extractione calculi, curatione herniæ, terebratione cranei (quam ipsi adversarij ad evitandum majus periculum admittunt faciendam animi studio & diligenti manuum administratione) in capitis vulneris dilatatione ubi opus, e. g. ut commode ossium squamæ ibi, si quæ detentæ egrediantur. Imò partes*

corpor-

corporis integras vitæ gratia abscindimus & auferimus, brachia, crura & alias in gangræna, digitum post factum morsum à vipera vel cane rabido, arteriam in aneurismate &c. Non me diffundam amplius in exemplorum campum nimis patentem. Illos vero non laudandos existimo, qui in quovis levi etiam catarrho ad remedia ejusmodi generosa & extrema audaculi confugiunt, & minus periculum majori augent, plusq; maleficij, quàm beneficij pariunt. Unde non miror, quod Montanus scribit Consil. 143. in curatione catarrhi vidisse se aliquot in catarrho non desperato post cauteria hujusmodi probe administrata miserè mortuos. Atq; hinc rursum non miror, multos remedia aversari per se bona, quando infelicem successum animadvertunt, abusum vero factum non considerant, & infamata remedia, quæ multis auxilio (ut mihi hoc de suo largiatur Celsus) fuêre. In catarrhis itaq; desperatis deficientibus omnibus aliis remediorum & auxiliorum generibus ad fonticulum coronalis suturæ rectè confugimus, tanquam ad sacram anchoram, licet periculo non vacantem. Rectè enim Galen. 10. Math. Med. 10. satius est nonnulla cum fiducia & periculo aliquid facere, quàm spe ademtâ certò perire. Et Celsus: Præstat anceps remedium, quàm nullum. Atq; alibi idem; Dubia spes certa desperatione est potior.

Repræhensio quorundam.

Conclusio.

Hactenus difficiliora adversariorum diluisse sufficit. Levioris armaturæ argumenta non libet adducere; ut quod Mercurialis putat humorem non posse educi quia penetraret cranium lib. 1. de aff. cap in prælectionibus Patavinis c. 33. hoc enim jam ex superioribus concidit, ubi viæ monstratæ per quas humor etiam crassus penetret. Deinde quod ibidem habet: si materia evacuaretur per illam partem, deberet contra naturam sursum ferri, quæ natura sua deorsum fertur, quod Mercuriali videtur impossibile. Itaq; concedit ibidem &

Objectio Mercurialis.

I. Refutatio.

II

laudat

laudat cauterium in sutura coronali cum suffusio (de cujus curatione ibi loquitur) imminet in vaporibus continuo ascendentibus, quos solos per foramen illud evacuari statuit. Et idem cauterium in coronali ad vapores atros & fervidos educendos in mania melancholica summopere laudat cap. 16. lib. ejusdem, ut sibimet contrarius in consilijs esse videatur. Sed ad argumentum ejus adlatum respondeamus. Inprimis mirari subit argumentum illud à Mercuriali propositum. Nam

Refutatio.

Revulsio quid

Derivatio quid.

I. Cur impossibile humorem retrahere contra propensionem ejus? Imò fit hoc & fieri debet in omni revulsione; ut etiam differentia constitutiva vera revulsionis sit, avertere humores contra nitentes & non inclinatos in motum illum, quemadmodum derivationis differentia est, avertere humores, quo proni & propensi sunt.

II. Ita Galenus noster vel maximè culpandus esset quando l. 5. M. M. c. 14. in catarrho salso capitis docet supra commissuram coronalem applicandum ceratum ex thapsia rubrificans revulsionis causa] ab intima cerebri parte ad pericraneum, ne pituita salsa in partes descendat, nam natura movens in pectus catarrhum gravem sua natura, non dici potest prona ad movendos humores pericraneum versus.

III. Labitur Mercurialis memoria (absit dicere ingenio) dum non considerat humores in viventibus moveri & fluere, non à se & proprio impetu; cætero quin omnis fluxio ad inferiora fieret, quia humor sua natura gravis: sed fieri motum & fluxionem humorum quia vel à parte mittente transmittuntur & propelluntur vel à recipiente retrahuntur. Ita enim causas fluxionum esse partem mittentem & partem recipientem, docuit nos communis Præceptor Galen. l. 13. M. M. c. 3. & l. 3. de sympt. Caus. c. 2.

PRO-

PROBLEMA V.

An sales plantarum â vulgo Chymicorum recte fiant per combustionem?

Sales plantarum plurimum virtutis habere & usum magnum in Medicina, Chymiatris in confesso est & concesso. Vulgarior autem in cineres versas plantarum aqua propria vel fontana perfundunt, coquunt, liquorem effundunt aliquoties per chartam colant, & deinde ad siccum secundum artem coagulant. Verum an non rectius & magis philosophice sales fieri queant, quærimus.

Affirmativam tenemus hoc moti stimulo. Nam vires plantarum non rectè servantur; quia balsamum innatum & basis spirituosa plantis succensis consumitur. Atq; ita succo exhausto terrestreitas remanet nimia exiccandi vi pollens. Hinc etiam acrimoniam nimiam ejusmodi sales habent & calcis saporem nonnihil referunt.

Interea non volumus cũ Sebetkio salem revera rebus non inesse, & accidere terrenis partibus ab igne. Hoc enim contra omnem sensum est & experientiam, quæ salem magis vel minus rebus in-esse testatur. Et sal non opus est â calore productum, sed calore separatum.

Verior ergo & magis philosophica uia esse videtur quam nuper in miraculis suis chymicis edidit Philipp. Moll. amicus noster: ubi integrum modum cum instrumentis faciendi sales philosophicos dilucidè & sufficienter describit. In quo quidem modo omnia ita fieri liquet, ut nihil plane subti-

liorum partium ex simplici vegetabili exhalare queat. Quocirca vires sartæ tactæ manere poterunt.

PROBLEMA
VI.

Menstruum in extrahendis vegetabilibus quodnam optimum?

Nimis frequens mos est chymicis ad omnia & singula vegetabilia extrahenda S V. uti: qui utiq; non ad omnia adhibendus est. Nam

1. *Natura septentrionalibus non ita fuisset noverca quibus vinum denegavit.*

2. *Non ubiq; ita in copia est S V. & si est, non semper bonus, aut certè magno comparandus, ut pro pauperibus medicamenta conficère chymicis haut liceat.*

3. *Si subtiliores partes habent simplicia, ex quibus extrahendum aliquid, utiq; nimis confertim in S V. pars subtilis extrahitur & elicitur.*

4. *Odorata S V. alterantur ob alienam qualitatem, tartareoque inficiuntur odore, & preciosissimi spiritus in S V pereunt.*

Menstruum ergo aperitur Chymico & sanæ philosophiæ amatori eligendum sale.

I. *Quod nulla aliena qualitate præditum est, 2. Quod temperatius est, 3. Quod simplicibus istis conveniens 4. Quod ubiq; gentium facile haberi potest.*

Nullum vero commodius est, quam menstruum proprium. Hoc enim naturæ simplicis extrahendi convenientissimum est.

Quod

Quod si liquore arido sulphuris vel vitrioli reddatur acidulum, haut ignobile fuerit. Cui proprium menstruum non suppetit capiat rorem majalem destillatum; aut in hujus inopia aquam pluvialem puram quæ satis conveniens præsertim si destilletur & rectificetur. Hæc enim omnia menstrua non adeo discordant â simplici vegetabili: quippe quæ aliàs illud irrigari debebant â Cœlo delapsa. Ipsa etiam quæ expurgantibus extrahuntur melius educuntur per aquam simplicem purissimam aut destillatam quam per S. V. aut terebinthinam. Aliqua tamen sunt ex quibus difficilius fit extractio, in quibus ut citius procedat S. V. uti possumus.

Nec tamen ideo volumus condemnenda esse semper alia menstrua ut sunt aq. Iunip. card. bened. fum. ulmar. filic. agrim. pom. redolent. lact. ser. lact. & alia quæ videantur apud Quercetanum.



EXERCITATIO SEXTA

Respondente

DANIELE FABRICIO

Dantiscano.

PROBLEMA I.

An, & cur absq; cibo & potu homo diu vitam agere queat?



Nimali, ut perpetuo nutriatur, cum continuè absumatur partium substantia, necessarium est alimentum per os assumendum, nisi fortè quid præpediat, quod appetitum deijciat, aut alimentum non desideret. Quod enim ab alijs scriptoribus affertur, de animalibus nonnullis Solo aere victitantibus, Solo item odore: â permultis in dubium vocatur. De chamæleontibus certè falsum est, quos præcipuè solo aere vitam sustentare ferunt & ore eos carere, Aliter enim nobis videre licuit apud promum illum & condum rerum naturalium Ferdinandum Imperatum, *qui idem sentijt, quod olim rettulit nobis* Libavius *Vir Clarissimus & amicus noster honorandus, ex varijs authorum testimonijs: videlicet Chamæleontem ex muscis, quas præter volitantes astu lingua exserta capiat.* Chamæleō ore non caret. Imperat9. Libavius.

Cæterum an homo vivere posit, non in dies tantum aliquos, sed etiam septimanas, menses, annos absq; cibo & potu quæritur.

Et ægros & sanos diu absq; cibo & potu vivere posse.

Nos affirmativam tuemur, non tantum de ægris, verum etiam de iis qui sani alioquin existimantur. Nec moramur Hippocratem *lib. de carnibus dicentem:* Si quis in septē diebus nihil edere aut bibere velit, plerique quidem in ipsis moriuntur. *Addit verò:* sunt autem qui ipsos transmittunt, & tamen moriuntur. *Intelligendus enim est eò loci Hippocrates de homine sano, non de morbido. Ægros certè videmus in dies, imò septimanas, vitam diu traducere absq; cibo & potu, ubi nimirum afflicto calore nativo & ventriculo crudis viscosisq; humoribus occupato, nullus se exerit suctionis sensus; adeò ut ægri morbo ipso ali videãtur. Neq; fortè dissimilis admodum ratio erit, conquerentibus tamen aliis, eorum qui annos multos absq; alimento vitam tolerant. Quod quia multi pro fabulis habent, nec possibile hoc esse credunt, quæstionem hanc an sit à* Valeriola *in annotationibus ad paradoxa Iuberti negatam prius comprobabimus.*

Valeriola.

Historia.

Ac primum quidem non reticebimus, quod in agro Bernensi antè triennium admodum propriis oculis vidimus manibusq; tetigimus. Ibi puella quædam Apollonia Schreijera nomine, tum à septem annis absq; cibo, potu, somno, excretionibus victitavit, & etiamnum ea in vivis esse fertur. Abdomen spinæ dorsi incumbens quasi vacuum, planam, non ventriosam aut rotundam speciem præ se ferebat: nec adparuit vestigium viscerum, quod tactu deprehendi potuit. Pulsus ei nunc exiguus, nunc vegetus, modò inæqualis, modò intermittens, modò nullus. historiam hujus rei totam integro libro descripsit Paulus Lentulus *Bernensis Medicus.*

Lentulus.

Exempla eorum qui vixerunt diu absque alimento.

Consimilia exempla alia in promptu esse possunt. Exemplum viventis absq; alimento ad dies undecim habet Plinus *ad*

dies

dies 18. Conciliator: *ad 20. & 30.* Albertus: *ad 46.* Alexander Benedictus *ad septimanas septem*, Albertus: *ad menses duos* Athenæus: *ad annum integrum puellam quandam triũ vel quatuor annorum, nihil assumpsisse vidit* Quercetanus *ut refert in diætheticopolyhistorico sectione 2. cap. 2. Diciturque ventris inferiorem regionem fuisse depressam, totumque abdomen lapidis instar induratum; cui tamen puellulæ appetitus posteà & sanitas redierit. Ita exemplum absque nutrimento externo viventis ad annos duos, habet* Pogius Florentinus; *ad tres*, Sylvius *in duabus puellis*, & Iubertus *in puella Spirensi: ad novem annos in Palatinatu notum est, puellam ita vixisse, postea convaluisse, nupsisse prolemque peperisse, ad annos decem, exemplum habet* Rondeletius: *ad 12.* Pogius Florentinus *ad 22.* Sylvius: *ad 30.* Iohannes Bocatius: *ad 40.* Hermolaus Barbarus. *Videantur verò exempla varia apud* Laurentium Iubertum, Marcellũ Donatum, Iohannem Matthæum Hessum; Schenckium, & *alios.*

Ad dies. Ad septimanas. Ad menses. Ad annos.

Quæstione ergò an sit jam nemini amplius, uti arbitrabitramur, in contentione ponendâ, ad eam, quæ cur sit quærit, properamus. Et hujus rei rationes probabiles quidem afferri possunt.

Quæstio cur sit.

1. *Natura paucissimis est contenta: nec tanto egemus alimento, quantum quotidie ex consuetudine assumimus.* Ratio I.

2. *Paralysis orificij ventriculi non postrema est causa.* II.

3. *Calor nativus ubi exiguus, exiguo opus est alimento, cum parum depascatur. Unde quædam animalia nonnullis putantur* III.

æstate solo aere victitare. Plinius. *Senes facilius jejunium ferunt quam juvenes, quia calor imbecillis minus humidi absumit. Sic & phlegmatici quam biliosi facilius jejunant, quia frigidiores.*

4. *Alimentorum vices sæpè sustinet vel phlegma, vel adeps, vel odor.* Hippoc. Gal. Plin. *vel defluxus catharrosi: quos sitim tollere docet Galenus. Potissima tamen causa in his* ἀσίτοις *est frigida & humida humorum congeries, sive in vasis sive solida substantia. Hinc pituitosis minor appetitus: & diutius hi inediam ferunt. Minus vero biliosi: hi enim calidum habentes ventriculum antè quartum diem moriuntur fame, si sani fuerint. & certè puellam Spirensem illam, cujus inter alia supra meminimus, scribitur fuisse admodum phlegmaticam: Idq; cognitum ex evacuatione continua muci, narium & lachrymarum.*

Ita videmus nonnulla assumpta famis liberare posse, & ad tempus absq; alimento corpora conservare. Vt si utatur quis pillulis ex Tabaco sive Nicotiana, & in ore teneat: tantum nempe è cerebro trahũtur pituitosi humores atq; ad ventriculũ mittuntur & venas: qua de re Monardes, Clusius, *& alij. Ita quoq; in plantis simile quid apparet, quarum quædã avulsæ diutius vivunt & nutriuntur, quam aliæ, ob impactum densum alimentum.*

Duæ vero hæ postremæ causæ si conjungãtur in uno subjecto videlicet calor debilis & phlegmatis copia, fortè non mirum reddetur, aliquos homines diu absq; cibo & potu vivere, resolutione præsertim orificij ventriculi accedente. Ita enim & glires, ursi & subterrænea animalia multa, quia calore imbecillo prædita sunt, phlegmate item, & pinguedine multâ, diu certè vivunt absq; alimento externo. Videatur Aristoteles lib: *8.* historia animalium cap. 7. & Plinius lib. 8. naturalis historiæ cap. 3. & sequentibus.

Dices

Dices: quomodo tanta copia esse potest phlegmatis in homine, ut per aliquot annos sufficiat? Respondemus quemadmodum rarò cōtingit, homines adeò diu ἀσίτους vivere: sic raro etiam hæc causa. Interim probabile est quod, quò plus phlegmatis in vasis vel solida substantia reperitur, eò diutius ita victitare queant. Vnde varietas etiam, uti in suprà allatis exemplis patet, deprehenditur. Non enim omnes, in annos ita vivunt: sed aliqui in dies saltem: aliqui in menses &c. prout plus vel minus materiæ, & prout calor magis minusvè imbecillis. Dubium Solutio.

Putamus ergò copiam pituitæ, & quidem lentæ cum calore debili, causam esse tam mirandi effectus. Si enim pituitosi minus appetunt, & diutius inediam pati possunt, sequitur certè, quod quo magis quis pituitæ habeat, & quo magis hæc lenta sit, eò minus homo appetat, eoq́ diutius absq́ alimēto per os assūpto victitare possit. Nā ut simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis, & maximū ad maximū sequitur. Vel quod idē est: si absolutum prædicatum sequitur absolutum subjectum utiq́ incrementum prædicati sequetur incrementum subjecti; uti docemus in Logicis. Conclusio

Ex his & similibus probabiliter concludi posse videtur, naturaliter etiā hominem diu vivere absq́ cibo & potu posse.

Aliam rationem verò affert Quercetanus in diætetico Polyhistorico: quæ nec ipsa quidem fortè omni destituitur veri similitudine. Statuit autem membra cibum potumq́ attrahentia & alterantia adeò coagulari & exsiccari posse, ut sint quasi emortua: quemadmodum Iohannes Albosius *Regis Galliarum proto Medicus historiam habet foetus in utero materno per annos 28. contenti & lapidefacti citra sui matrisq́ corruptionem recensente* Bauhino in appendice ad Rossettum. Alia opinio. Quercetanus.

Quod si quis quærat, quomodo deficiente coctione prima & secunda, vita perdurare posset, respondet partes illas Cor, pectus, & caput, quæ in ejusmodi ἀσίτος adhuc vigere conspiciuntur, aëre foveri; cum aliàs refocilletur substantia nostra aëre attracto, & vires celerrimè odoribus confortentur.

Quod si ulterius quæratur causa hujus exsiccationis & coagulationis, respondet fieri ob feces tartareas, densas & spissas, quibus undiquaque viscera involvuntur: Unde pereat appetitus donec natura vel arte excrementis illis evanescentibus membra repurgentur, & pristinæ functiones exerceantur.

Quercetani opinio examinatur.

Cæterum si causas omnes â nobis suprà conjunctas, diligentius attendamus, & postea hanc quoque Iosephi Quercetani: videtur animus magis in illis acquiescere, tanquam majori dubitationum numero satis facientibus. Nam

1. Demus, viscera coagulata esse atque exsiccata, quod fecibus tartareis involuta sint, ubi interim nutritionis aliarum partium materia, de qua quæritur? num aer solus? haut vero simile. Videmus autem exempli gratiâ, in hac Apollonia Helvetica, satis bonam formam & habitum brachiorum, crurum, faciei, aliarumque partium: quæ durare non possent, nisi adesset alimentum aliquod, ut pituita dulcis & alimentaria, in vasis, vel solidâ substantiâ, vel utrobique.

2. Sequeretur in omnibus ita viventibus absque alimento, duritiem sentiri debere in abdomine. Atqui per paucos dies aut septimanas ita vivunt, non statim habent partes inferioris ventris ita coagulatas, & quasi petrificatas. Abdomen verò adeò vacuum esse, & dorso incumbere hanc ob causam arbitramur: quia viscera infimi ventris non replentur alimentosa materia, ut fieri solebat: sed nutriuntur tantummodo inhærente phlegmate.

3. Vis-

3. *Viscera ista ita coagulata & quasi lapidefacta mortua esse sequeretur: at communi vita cum toto fruuntur. Nec obstat foetus petrificatus & mortuus, qui non est pars matris, sicuti vero partes infimi ventris humani corporis certè partes sunt.*

4. *Si adeò petrificata essent & emortua, quomodo ad vitam redire possent? atqui sæpè ad se redeũt post annos multos quẽadmodum ex historia notum est puellæ ex palatinatu in oppido* Schmidweiler: *quæ postquam ab annis novem ita vixisset pristinæ constitutioni restituta, liberos procreavit. Quod caput, pectus & cor vigeant, non mirum est ob eandem, quæ totius casus est, causam. Adest enim materia una, videlicet aer, & altera etiam videlicet phlegma, vel lenta aliqua sanguinis pars hinc inde conspersa & immersa; sed quia non ita validè ista materia conficitur, ob caloris debilitatem, ideo ad motum inepti sunt homines illi, ad sensum tardi, respirationis levis, & submissæ locutionis: quæ omnia adesse vidimus in Apollonia illa Schreÿera Helvetica.*

Quicquid sit multa probabiliter dicere possumus nequaquam vero omnia satis accurate exponere, adeò ut aliter se habere nequeant. Nam & in hac quæstione magna sapientiæ humanæ pars est quædam æquo animo nescire velle, ut cum Scaligero loquamur.

PROBLEMA II.

An clisteres nutrire posſint?

Affirmatur.

Clis-

Clismatum egregius in Medicina usus est: quem tamen respuunt ut plurimum non sine damno Germani & vicini Boreales, tanquam abominandum aliquod aut periculosum remedium, quo in sensu cauteria etiam habent. Optima vero hæc omnia remedia frequenter & cum utilitate Itali atq; Galli usurpant. Ægyptij, referente Herodoto, singulis mensibus per tres dies continuos clismatibus usi sunt. Sed doctiores utilitatum multarum certi sunt: In quibus haud postrema est quando in ulceribus & tuberculis partium per quas cibus transire debet, in angina & quocunq; deglutitionis defectu, item dejecto nimis appetitu, utimur injectionibus nutrientibus; quæritur & controvertitur, an revera dentur, hoc est:

Vsus clismatum.

Status Cōroversiæ.

An per clisteres materia aliqua in intestina injci poßit, quæ in sanguinem abeat, & deinde per venas in totius corporis omnes partes ad nutritionem.

Negativâ quomodo probari posit.

Quidam negativæ adstipulantur, sequentibus freti munimentis.

I. *Quia ne in intestina quidem tenuia pervenire potest materia alimenti, multò minus in ventriculum. At antequam in epate elaborari poterit chylus in sanguinem, prius confici debet in organo primæ coctionis, ventriculo. Alioquin vitium quod in coctione primâ committitur, in secundâ non corrigitur. Materiam clismatum non posse ferri naturaliter in intestina tenuia, docuit* Galenus *lib. 5. de methodo medendi cap. 11. quando ulcera intestinorum crassiorum per injecta mitescere ait, tenuiorum potius per assumpta. Verba ejus hæc sunt.*

Galenus

Quæ in intestinis consistunt, bifariam curātur: nam, quæ vicina ventriculo sunt, his per comesta & bibita succurritur: quæ verò inferius sunt sita, per ea quæ injiciuntur: quando neq, ad ea quæ vicinæ ventriculo sunt subire potest, quod per sedem infunditur. *Ita etiā*

lib.

lib. 13. cap. 17. inquit Quæ per clisterem infusa sunt, ea omninò ad Iejunum usq; adscendere non possunt, imò etiamsi admodum nitaris, fortasse tenue tantum intestinum contingent.

Ratio vero hujus rei est valvula principio coli apposita, Parisijs à Casparo Bauhino Anatomico excellentissimo inventa: quæ prohibet ne quid ex crassis in intestina tenuia remeet, cum interim ex tenuibus in crassa optimè ingredi queant excrementa. Quod liquet si per rectum intestinum injiciatur liquor aliquis, & protrudatur tenuia versus: subsistere enim circa Cæcum, sive circa coli initium & Ilei finem nec ulterius præterfluet, ob valvulam eò loci adnatam. At si per Duodenum injicias liquorem, facilè per rectum exibit. Valvula in colo, Bauhini.

2. *Quia prima cibi præparatio in ore fieri debet, elaboratio in ventriculo, finis & absolutio in intestinis tenuibus. At illud in usu clismatum fieri nequit. Ergò.*

Contraria tamen opinio amplexanda est, nimirum clisteres nutrire revera posse: non tamen ita, quod aliqui censent, ac si ventriculus famelicus, nutricatum ad se rapiat & attrahat, licet hic ad intestina tenuia non perveniat. Stabilimus autem hanc sententiam sequentibus firmamentis. Clisteres nutrire probatur

1. *Experientia. Hæc si consulatur, res in vado est, quia à nobis. Et multis Medicis tales clisteres usitati sunt. Apud Italos & Hispanos non infrequens est praxis, in viris qui aliter nutriri non possunt, aut mulieribus præfocatis; clistmatis uti, atq; ægrum hac ratione per dies multos sustentare.* I.

2. *Authoritatibus 1. Vide* Galenum *lib. 5. de causis symptomatum cap.* 2. Celsum *lib. 3. cap. 29.* Ruffum *apud Oribasium lib 8. cap. 24.* Mercurialem *in quæstionibus Pisanis historia* 21. Laurentium *lib 6, quæstione* 14. *& alios. Sed nunc rationibus obtinendum quæsitum.* II.

III. 3. *Intestina sunt eiusdem ferè cum ventriculo temperamenti & substantiæ, vt aliquam chylificandi vim obtineant, præcipuè vero Colon quod carnosum est & crassum. Vide* Galenum *lib.4. de vsu partium cap.*17.

IV. 4. *Et Colon quidem habet cellulas varias in quibus iniecta nonnihil retineri queunt.*

V. 5. *Situm est idem Colon in loco satis calido sub ventriculo & diaphragmate propè epar, lienem &c.*

VI. 6. *Idem Colon venis mesaraicis refertissimum est, quæ exsugere possunt alimentum nonnihil in Colo immutatum & per venam portæ ad jecur deferre.*

VII. 7. *Qui injiciuntur cibi per anum ad nutriendum, sunt facilè mutabiles & digestibiles, atq; chyli substantiæ proximi, & naturæ corporis nostri aptissimi. Vt si fiat ex lactis lib.j. cremoris hordei mundi lib ß. vitell. ovor. n. ij & similibus.*

Nihil ergo obstat, quominus clisteres nutrire queant.

Opinio adversa refutatur.

Ad argumenta adversa respondetur, non opus esse omne alimentum in epate sanguificandum, prius in ventriculum necessario devenire, quod probant supra allatæ rationes. Et Gal. 6. de Plac docet non simpliciter esse necessariam ventriculi concoctionem: sed quando solida alimenta assumuntur, & quæ liquida sunt, in ventriculo minime immorari, licet cruda sint, vt aqua &c.

An coli valvam clisteres pertransire queant.

Clisteres & suppositoria per os reddita, testantur.

Cæterum ponamus non concessum, debere clisteres nutrientes pervenire in tenuia intestina, & Coli ostium pertransire. An hoc absurdum foret? natura certè sæpè numero extraordinarie in necessitate agit, meatus claudit & recludit idq; molitur aliquando ad stuporem vsque, quod ordinario tamen cursu non tentaret. Ita in Iliaca passione pylorus præternaturaliter reseratur, & aliquando etiam Coli ostium.

Ita

Ita Clisteres & suppositoria nonnunquam per os redduntur: Gal. ipse libr. 3. de symptomatum caussis ait: Clisteris aliquid nonnullis in ventrem subijt, vt vomerent, non secus ac feces per lethales volvulos sæpe evomuntur. *Quo indubiè respexit* Rhases *lib. 9. Continentis: vbi putat clisteres ad ventriculum adscendere, & sæpè per nares reijci.* Si, *inquit*, magna vi & impetu inijciatur clister ad ventriculum vsque perveniet, si sensim & paulatim, vix crassiora intestina superabit. *Hæc ille. Nam impetuosè iniecta labefactare possunt valvulam Coli & infringere, vt non resistat amplius: quod alioquin evenit in dissectionibus, cum quæsituri aliqui eam aqua labefaciunt, & postea non ita facile reperiunt.* Franciscus Rossettus *Medicus Gallus, in libello de partu cæsareo à Bauhino latio donato, Sectione 3. cap. 7. meminit cuiusdam Caroli Trabardi, nephritici, qui pro Colico tractatus multis clismatibus, horum aliquot, ob mali vehementiam, evomuerit. Et hac de re aliquando sermocinanti mihi cum Excellentißimo Anatomico Patavino,* Iulio Casserio Placentino, *amico meo Colendißimo, commemoravit, se vidisse presbyterum quendam, qui clisma ex oleo injectum, per os vniversum reddiderit.* Alexandrinus, Solinander, *& alij huius etiam rei meminerunt.* Ambrosius Paræus *libr. 25. de medicamentorum facultatibus, cap. 23. Permultos se vidisse ait, qui suppositoria ano percepta ore reddiderint. Idem habet* Guaynerius *tractatu 5. practic. cap. 2. in Tenesmo suppositorium opiatum vomitu rejectum. Et glandes, & clisteres, & excrementa, excreta per os fuisse testantur,* Matthæus â Gradibus *in commentario Almansoris cap. de vomitu, &* Valeriola *comment. ad cap. 2. lib. 6. de causis symptomatum Galeni. Atq; mirum est, aliquando glandes, can-*

Galenus.

Rhases.

Cur valvã coli multi non reperiant

Rossettus.

Casserius.

Alexandrinus Solinander.

Paræus.

Guaynerius

Matthæus Valeriola à Gradibus.

delas &c. etiam filo femoribus allegatas, etiam manibus hominum detentas, vi attractrice monstrosâ, filis abruptis fuisse sursum delatas ad ventriculum, & per os rejectas. Videatur Schenckius in observationibus medicinalibus.

PROBLEMA III.

Quod frigeamus â pastu an accidat calore externarum partium ad centrum revocato?

Negatur.

A pastu in sanis benè constitutis, & rectè concoquentibus Cottidianum est & bonum exteriora ut manus & pedes non nihil frigere, paululumq; horrescere dorso & universa q. cute.

Quæ vero caussa huius rei sit, homines qui natura desideramus scire, quærimus.

Opinio Galeni. *Galeni sectatores dicunt exteriorum partium sanguinem & spiritus promovendæ coctionis ergo ad interiora, ut ad ventriculum confugere, unde partes externæ relinquãtur frigidæ.*

Refutatio. *Cæterum hoc natura rerum non admittit, partes enim singulæ suum calorem habent, retinentq; nec alteri communicant. Quælibet enim pars continuè alimentum trahere debet, coquere, sibi adaptare, & superfluum excernere; opus vero hoc, si calore nonnihil orbaretur, interrumperetur. Et quid, quæso adiumenti ventriculo afferri possent, ex caloris isto adventu, cum*

cum fateantur, statim eum redire; Si enim extremitatum frigus diu perseveret, malum.

Quo circa verisimilior est sententia, ventriculum cibum frigidiorem aggredi, & cum eo conflictari, hic vero cum mutationem aliquam subit, halitus frigidos de se emittit, antequam evincatur, & annexis ac continuis sibi partibus eandem qualitatem communicat, & deinde vicina pars, alteri vicinæ. Atq; ita frigiditas extremorum signum est feliciter inchoatam esse coctionem. Alia Opinio.

PROBLEMA IV.

An in cibis assumendis ordo aliquis servandus?

Negatur.

De ordine alimentorum assumendorum minus consentiunt authores. In eo vero ferè omnes consentiunt, prius sumendum quod magis placet & palato sapit, naturæq; arbitrio & libidini morem gerendum. Cautionem verò & exceptionem adhibent solummodo de cibis solidis & liquidis. Nam

Prima opinio eorum est qui crassa & solida alimenta prius ingerenda decernunt moti his potissimum rationibus. Opinio I.

1. *Si primum tenuia ventriculi fundum occupent, numero ad exitum properabunt, & solidiora nondum concocta secum educent.*

2. *Liquida si præcedent, ijs postea innatabunt crassiora & calorem ventriculi effugient.*

3. *Præstare videtur primum crassa & solida manducare, quia diuturniorem coctionem exigunt, quam liquida, quamobrem*

obrem in parte inferiore seu fundo ventriculi cōducit retineri solidiora alimenta, quia illa pars calidior est, quippe carnosior & ex partibus adiacentibus, adiutus.

Refutatio.

Verum hæc opinio ex ignorantia modi coctionis procedit, qui postea explicabitur, unde etiam refutationis medulla à quovis de facili hauriri potest.

Opinio II.

Secunda opinio plures nacta est patronos eos nimirum, qui liquida & tenuia alimenta semper antè crassa ingerenda esse contendunt, moventur autem sequenti fundamento.

Liquida prius assumenda sunt, vt prius è ventriculo per pylorum exire queant: quod si verò crassa prius assumantur & prius per ianitorem delabantur, retinebuntur in ventriculo liquida nimis diu, adeoq; superassabuntur, aut saltem in inferiore parte si statione habent crassa exitum prohibebunt liquidiora, quæ tandem corrumpi necessum fuerit, & situ reliqua inficere.

Refutatio.

Cæterum originem habet hæc opinio ex antiquorum crasso & puerili errore, qui pylorum in imo fundo ventriculi reside-re autumarunt, illudq; & picturis iuventutem docuerunt, & verbis etiam confirmauerunt. Vnde factum vt in hunc vsque diem πύλωρος sive orificium ventriculi dextrū, communiter orificiū inferius appellitetur, quemadmodū sinistrum, orificiū superius vocari consuevit. Sed minus rectè, norunt enim exactioris & subtilioris anatomes cultores dextrum orificium sinistro non esse humilius, sed vtrumq; in elatissima ventriculi regione residere. Quamobrem non descensu sed adscensu chylus ex fundo ventriculi ad orificium sinistrum, quod Ianitorem appellant, fertur.

Orificium ventriculi dextrum non est inferius sinistro.

Opinio III. Nullū seruandum ordinem in cibo, probatur.

Tertia sententia, cui nos subscribimus statuit in cibis assumendis liquidis vel crassis nullum omnino servandum ordinem. Atq; hoc probamus.

I. Ex

1. Ex coctionis modo. Coctio enim ventriculi, philosophorum principi lib 4. meteor. elixationi assimilatur. Atqui nihil refert quam partem prius in lebetem conijcias, omnia enim miscentur, sic in ventriculo modus coctionis non fit secundum ordinem & locum quo cibus assumebatur, ac si primò ingesta ventriculi fundum occuparent, summum verò, postremò manducata: sed cibum totum ventriculus comprehendit, amplexatur, mistum in vnum cogit, vt massa vna fiat ex omnibus partibus assumpti cibi, duris & mollibus aridis, & humidis, &c.

2. Experientia satis luculenter evincit, primo loco assumpta, non tantum in fundo esse. Illa enim frequentissimè sæpè eructationes produnt, atq; inter coquendum per exhalationes in caput & partes vicinas. Quocirca quocunq; loco ingerantur liquida vel solida, miscebuntur simul & à ventriculo vna coquentur. Neq; tamen propterea negatum volumus, cibos liquidos citius ventriculo exire, quam minus liquidos. Nam quo quid liquidius, eò citius à ventriculo ad intestina ablegatur.



EXERCITATIO SEPTIMA

Respondente

DANIELE FABRICIO

Dantiscano.

PROBLEMA I.

Vsus narcoticorum, vt Opij &c. an admittendus?

Affirmatur.



Sum narcoticorum, inprimis opij improbasse videtur Galenus, Fernelius & alij. At eius vsum concedendum esse, manifestum fit ex sequentibus. Vsus narcoticorum probatur.

I. *In satis magna dosi ingreditur theriacam, Et quàm multorum insignium antidotorum basis sit,* videatur Quercetanus in pharmacopœa dogmaticorum restituta, de opiatis. I. Quercetanus.

2. *Turcas & Persas in vsu frequentissimo habere, testatur* Bellonius. *Et tota Asia atque Mauritania, in victu vtitur, adeò vt abstinentes periculum vitæ incurrant: quod etiam* Iulius Cæsar Scaliger *testatur, additque se nosse quendam qui cottidie supra drachmas 10. comederit & doctissimè de rebus omnibus disputaverit.* II. Bellonius. Scaliger.

3. *Experientia hodierna nostri sæculi abundè testatur opiatorum vtilitatem ne dicam necessitatem. Quis enim medicus hodie absque aliquo Laudano laude dignum aliquid præstat? feliciter hodie vtitur* Felix Platerus *pillulis suis opiatis, qui-* III. Platerus.

tis, quibus se multos sustentasse & practicum sine opio pauca laudabilia efficere testatur: atque vitam potius ab eo prorogari censet, adeò vt adscribendum sit vi narcoticæ vini, aut cerevisiæ propter lupulum, quod bibones & helluones ad tantam nonnunquam senectutem perveniant.

PROBLEMA II.

An opium summè frigidum sit, an verò potius calidum?

Posterius adstruimus.

Quia hanc quæstionem à nemine publicis typis solidè tractatam adhuc invenimus, placet eam paulò diligentius examinare, alÿsq́; occasionẽ præbere, veritatem, quæ hactenus certè in hac materia latuit, inquirendi.

Opium frigidum esse quomodo probari queat.

Prima communissima opinio *quasi omnium physicorum & medicorum est: Opium esse in summo excessu, sive in quarto gradu frigidum. Quæ sententia suaderi posse hisce rationibus nobis videtur:*

I. Stupor ex opio.

1. *Stupefacit in summo gradu, adeò vt mortem tandem, nisi succuratur, intensa frigiditate videatur inducere. Si ergò parti admotum opium stuporem & gangrænam adfert, non nisi intensissima frigiditas, in causa esse posse videtur.*

II. Somnus ex opio.

2. *Non tantum stuporem inducit partium sed etiam somnum adeò vt tandem mors ob nimium somnum subsequi queat. Somnus vero videtur à causa frigida maximè habere suam originem, cum illi qui frigidi sunt temperamenti, maxime dormiant: qui calidi, minus.*

III.

3. *Quod per calida, imò ignea calidissima corrigitur, frigidum*

gidum sit, & quidem frigidissimum sit, necessum est: Opium per calidissima corrigitur: Ergò.

Minor liquet ex tota antiquitate medica, & hodiernis quoq; ferè omnibus Æsculapij alumnis. Corrigentia enim opium in opiatis semper addunt: piper, pyrethrum, Crocum, Euphorbium, allium, Ceparum succum, castoreum, vinum &c. Opij correctiva vulgo.

4. Assumptis narcoticis, quando periculum immiuere animadvertimus, eadem calidissima propinamus, vt frigiditas nimirum opij retundatur. IV.

5. In quibusdam opio extinctis ferunt circa cor inventum sanguinem congelatum & conglaciatum: imò & in cerebri ventriculis sanguinem instar glaciei congelatum fuisse, vt habet Ioach. Curæus. lib. 2. de sensu cap. 17. V. Curæus.

6. Authoritates omnium medicorum in promptu sunt. VI.

Secunda opinio est Capivaccij: *qui videns praecedentem non posse subsistere, ob caloris in opio manifesta inditia, mediam quandam viam ingressus est.* Tractatu enim de venenis lib. 7. cap. 9. *ne affirmare cogatur contrà vulgarem opinionem, opium esse calidum, statuit in eo diversas esse partes, vt sit calidum in tertio gradu, ex quo calore prodeant effectus calidi: & frigidum in quarto, vnde stupor. Itaq; vult opij partes calidas & tenues, quia facilè penetrant, & venenosa sunt, expelli in habitum corporis, vnde pruritus &c. Sed crassas frigidas remanere in centro.* Capivaccij opinio.

Tertia opinio *recentissima est, opium non esse frigidum, sed calidum potius, imò impense calidum. Hanc tuentur tres illustres Basileensis scholæ Medici:* Felix Platerus, Casparus Bauhinus, & Iacobus Zvvingerus: *Platerus verò non tantum calidum opium statuit, vti alia: Sed affirmat se nunquam vidisse alia, quæ magis constanter calefaciunt, adeò* Opium calidum esse, opinio nova. Platerus. Bauhinus. Zvvingerus.

N 2 vt &

vt & tres aliquando dies perduret calor, cum interim aromatum calor brevi transeat. *Opium quoque calidum potius esse quam frigidum; statuit insignis Philosophus & medicus Hermeticus* Iosephus Quercetanus*: vti passim in scriptis eius videre licet.* *Vnum locum annotare libet ex pharmacopœa eius pag 655. vbi ait*: Iam alibi in scriptis nostris egimus de proprietatibus opij, quod qualitas eius narcotica & soporifera dependeat potiùs, à sulphure quodam inflammabili, fœtente & indigesto, quam à causa quadam frigida &c.

Quercetanus.

Hanc sententiam, quæ opium calidum statuit, nos tuemur, & rationibus plurimis iam confirmabimus, postmodumque argumenta adversariorum omnia destruemus.

Opij caliditas adstruitur.

Opium ergò calidum esse ita probamus.

I. 1. *Quia sudorem copiosè provocat. Illa vero quæ diaphoretica sunt, calida sunt, & tenuium partium.* Galenus libr,5.de simpl.medicam.facult.cap.14.

Neque enim ideo ad sudorem facit opium, quia frigiditate somnus inducatur, & calore intrò revocato sudor prorumpat. Nam primò, vigilantes sudant ex opio. Deinde non semper in somno sudamus. Sudorem enim in somno non excitari vult Hippocrates in aphorismis, nisi adsit ciborum repletio &c.

II. 2. *In ore detentum, palatum & linguam vrit, exulcerat, & pustulas excitat, instar alicuius pyrothici.* Scal.exerc. 154.& 175.sect.1. Idem & Capivaccius.

III 3. *Caput tentat,* teste ibidem Scaligero.

IV. 4. *Venerem etiam provocat.* Idem Ibidem.

V. 5. *Sitim excitat, eamq́ diu durantem.*

VI. 6. *Pruritum insignem parit, adeò vt asserente Capivaccio, homines à somno profundo excitentur.*

7. In

7. In externa applicatione opium discutit, & vehementer emollit nodos tophosque. At si frigidum esset, densaret potius, ac congelaret. VII.

8. Animositatem parit, si ita loqui licet, vel potius furorem plus quam phreneticum. Turci enim pugnaturi opium assumunt, & ita in obvios quosque imperterriti feruntur, nec cedunt: adeò vt ob hanc amentiam sæpè frenandi sint, ne nimia ferocitate & temeritate, suos simul perdant. Hinc etiam ingenium corrumpi ex nimio vsu opij, vult Alpinus. VIII. Alpinus.

9. A simili res fit manifesta. Nam & alia calida vim habent narcoticam; vt vinum, spiritus vini, crocus, lupulus &c quæ omnia per frigiditatem narcosin exercere, nemo nisi insanus affirmaret. IX. Calida narcotica.

10. A Recentioribus, videlicet supra numeratis medicis, opium optimè & felicißime corrigitur per frigida, vel per acida, & quæ vim vitriolatam participant, atque tenuium simul sunt partium. Vt sunt acetum, Succus Cytriorum & Limonum, item Berberorum, spiritus vitrioli, &c. Platerus *in praxi sua, tract.* 1. *pag.* 67. *ita inquit:* Acida exhibita, vti acrium humorum, & bilis effervescentiam, sic & narcoticorum efficaciam retundunt, vt succi acidi, vel syrupi, vel acetum. Quercetanus *in pharmacopœa dogmatica pag.* 657. *editionis Lipsensis, ait:* Liquores vitriolati, vt acetum fortissimum album, vel succus limonum, sola verissima opij correctiva sunt. *Et pag.* 660. vera opij correctiva, non in pyrethro, pipere, euphorbio & igneis, aut summè calidis illis rebus indaganda sunt: sed in aceto potius, tam montano, quam vulgari, in succo acidulo limonum, & similibus, quæ vim vitriolatam participant. X. Vera opij correctiva. Platerus. Quercetanus.

Quæ rationes hactenus allatæ sunt, firmißimas putamus.

mus. Sed sequentes alias addemus probabiles tantum, quāvis infringi posse, non inficiemur.

XI. 11. Fœtor insignis, opij caliditatem potius prodit quam frigiditatem. Communis autem est philosophorum sententia, odorem omnem calori debere adscribi: quod facit acutissimus

Scaliger. vir Iul. Cæsar Scal. exerc. 151.

Sed hæc ratio labefactari fortè posset exemplis rosæ, violæ,

Odorata non calida. nymphea, cicutæ, similiumq; oderatorum, & graveolentium frigidorum.

XII. 12. Sensum habet insignis amaritudinis opium. Quæ verò amara sunt, vulgò calida statuuntur. Calida enim putantur, quæcunq; acria, amara & salsa: frigida, cuncta acida, austera, & acerba: temperata omnia dulcia, pinguia, & insipida.

Sed hæc ratio redditur infirma, exemplo aliorum ama-

Amara nō calida, rorum quæ frigida, vt sunt: Cicoreum, sonchus, lactuca silvestris, endivia, cicuta, fructus immaturi &c. vt ea propter in dubium non temerè vocaverint plurimi, an secundæ qualitates necessariò primas consequantur, & an hæ ex illis dignosci queant. Deindè amaritudo fortè esse potest, ex Glaucio, quo admisto sæpè adulteratur opium. Vide Dioscoridem libr. 4, cap. 55. & Matthiolum ibidem.

XIII. 13. ἔγχειρσις Chymica videtur opij caliditatem confirmare. Nam primò sulphurea & oleosa ex opio elicitur substantia, quæ narcotica. Et verum opium veteres noscebant quod flammam conciperet. Deinde, sal in opio deprehenditur diaphoreticus, sudores movens, teste Philosopho & medico

Severinus. Hermetico celeberrimo Petro Severino Dano in Idea medicinæ philosophicæ, cap. 7. pag. 75.

Cæterum destrui posse videtur hæc probatio, quia primo examen rerum instituitur ad calorem corporis nostri natiuum, non ad ignem. Atqui intus non inflammatur opium, & nec ipsum

psum sulphur devoratum. Deinde, non sequitur omne id habere vim sulphuream, ex quo sulphur extrahitur: nam cuivis rei insunt tria illa principia chymica: Sal, sulphur, & Mercurius. Et de stipula, quæ inflammabilis est, alioquin idem quod de opio, effari liceret.

Quoad primam opinionem, *quæ communis est pro frigiditate opij pugnantem: ad ejus argumenta ordine omnia non difficilè fuerit respondere, postquam firmiter satis veritas est comprobata.* Refutatio primæ opinionis.

Ad Primum, *stuporem non à frigiditate in opio provenire iam declaratum est. Vnde verò prodeat, problemate sequẽti inquiremus. Vim narcoticam scimus in opio esse, quæ causa est stuporis: & si vitalis postea afficitur facultas, non mirum est, si condoleat animali.* Ad rationem I.

AdSecundum. *Ita somnus non frigiditati semper adscribetur. Nam 1. vinum, crocus, aliaq; calida soporifera sunt. 2.* Gal, lib. 1. de sympt. causis cap. vlt. *soporifera non frigida sunt, sed humida. Quod vero nonnulli somno tantum immodico moriuntur ob opium assumptum, mirum non est, ob affectionem nervorum, quibus insidiatur opium, qui quando non faciunt officium in musculis respirationi inservientibus mors sequi potest, uti & in apoplexia.* Ad II.

Ad Tertium. *Non de facto sed de iure quæritur: an rectè faciant, qui per calida corrigunt. Nos contrariũ antè audivimus. Nonnulli a. fortaßis excusari poterunt, quod calida admisceant ad faciliorem penetrationem.* Dioscorides *enim scribit, cicutam cum vino datam citius interficere, cuius rei causam vulgò dant, quod citius vis medicamenti deducatur. Ita* Capivaccius *inquit*: qui opium exhibent, vt interficiat, miscent vinum, aromata &c. quæ potius attrahuntur à jecore & corde, quam expelluntur, vt vehiculum

Ad III.

Dioscorides.

Ad IV. culum sit penetrans, & facilè partes ad cor perducantur. *Hæc ille. Ita fortè nos dicere possumus addi castoreū tanquam corrigens, hoc est deferens, quia castoreum sunt partes*

Ad V. *valdè tenues & penetrantes. Commodius autem id fieret, per frigida quæ tenuium sunt partium, & vitriolata.*

Ad Quartum respondemus. Si iuvant, vti dicitur, fieri hoc, eò quod sopitam facultatem, caloremq; nativum excitent.

Ad VI. *Ad Quintum. Dubitatur de tali authoritate. Nec veritatis speciem habet vllam, in humano corpore tantum frigus regnare posse, vt glaciem generet. Viderunt fortè crassum aliquem & concretum sanguinem, qui alioquin sæpè in cadaveribus dissectis apparet.*

Refutatio secundæ opinionis.

Ad Sextum. Authoritates hic locum non habent, quando rationes & experientiæ prævalent.

Ad secundam opinionem *Capivaccianam dicimus, non receptandam. Illâ enim positâ & concessâ, sequetur in opio à frigiditate vnius gradus stuporem provenire: quod cum non fiat ex lactuca, atriplice, & similibus in primo ordine frigidis, vtiq; nec illud concedendum fuerit.*

PROBLEMA III.

Quamobrem opium stuporem, somnum, & mortem aliquando inducat?

I. Opinio. *Cognitâ iam qualitate opij manifestâ activâ, quod nimirum ea frigiditas non sit, sed caliditas: quæritur, quâ vi, quâ ratione & modo somnum inducere possit, stuporem, & aliquando mortem. Hic etiam authores diversi diversas abeunt in sententias.*

II. Sanctorius.

Secunda

Prima sententia communis est: fieri per frigiditatem. Sed hæc iam modò relegata est.

Secunda est Sanctorij: qui licet frigiditatem opij retineat, tamen aliam reddit quæsiti causam, cujus summa hæc est: opium non ob frigus occidit, nam drachma vna eius interficit, cum tamen vncia vna glaciei, quæ frigidior, nō statim calorem nativum opprimat. Vnde etiam colligit, non semper à primis qualitatibus omnia dependere. Sed opium occidere censet, vir ille eruditißimus, densando, immobilesq; reddendo vitales spiritus: partes autem vita donatæ, perenni egent motione, vt calor nativus servetur.

Tertia opinio. Felix Platerus narcoticam vim inesse statuit opio, non à qualitatibus vllis manifestis dependentem, cum id experientiæ reluctetur: sed quæ proprietas quædam occulta sit, & alio modo à nobis non explicabilis, quæ maxime cerebro, eiusq; apophysibus adversetur, sicut suo modo agit lepus marinus in pulmones, cantharides in vesicam &c. cum non sit de essentia veneni, vt semper primò & per se cordi insidietur: illam vero ocultam opij vim nervis adversantem, prodi per odorem teterrimum. III Platerus

Quarta opinio est Hermeticorum, qui aliam dant rationem dum chymicis fundamentis innituntur, & quæ oculis videri possunt. Quod vt intelligatur, referenda sunt, verba duorum insignium Hermeticorum longè celeberrimorum: Petri Severini Dani, *& hunc ceu præceptorē sequentis,* Iosephi Quercetani. *Ita verò* Severinus *in Idea, loco citato:* Diu multumq; de opio dubitatum est, qua ratione in tanta amaritudine, stupefaciendi virtus excelleret. Nos, substantiarum facta separatione, sulphur vel oleosum quidpiam deprehendimus planè narcoticum: ejusdem naturæ sulphura anteà conspexeramus, ea- IV. Severinus. Quercetanus.

dem industria in multis Naturæ partibus, in vitriolo, nitro, salibus ferè omnib9, in sulphure vulgari, in herbis plurimis. Itaque, nec calori, nec frigori, nec humiditati, nec siccitati, nec tenuitati, nec crassitiei, hanc opij proprietatem adscripsimus, sed tali Corpori, id est sulphuri narcotico.

Quercetanus in Pharmacopoea pag. 655. editione Lipsensi inquit: Qualitas opij narcotica, dependet potius à sulphure quodam inflammabili, foetente, & indigesto, quam à causa quadam frigida. Nam & fumus sulphureus carbonum, & vapor sulphureus tàm vini quam croci citius hominem in Somnum præcipitabunt, quàm aqua nivis aut glaciei, licet in summo gradu frigidissima. Hæc enim frigiditas caret spiritibus vaporosis, & sulphureis, qui æquè in vino, carbonibus, & croco reperiuntur, ac in ipso opio, licet non tam noxij & lethales.

Verum si ulterius quæritur, unde sulphur illud vim narcoticam habeat, ad idem res indubiè redibit, quo Plateriana sententia collimat: quæ quidem nobis videtur probabilis.

PROBLEMA IV.

An ob opium, theriaca tam diu infermentata?

Aff.

Mirum alicui videri posset, cur cum laudanis opium recipientibus, statim post confectionem uti queamus, theriacâ

tamen

tamen non item: quæ plurium mensium, imò annorum ſpatium ad fermentationem requirit.

Ratio verò eſt opii cruditas. Nam in laudanis opij præparatio præcedit, & in eſſentiam reductio. Itaq; non egent longiori illa fermentatione, ſed ſtatim eorum uſus poſt præparationem conceditur. In theriaca verò, nihil præter ſolum opium eſt, quod non ſtatim quovis tempore abſq; noxa aſſumi poſſit, Et ſi Chalcitida objicis, ejus ingreſſum cum Quercetano arcendum meritò putamus, ob inuſum & ſubſtituendum aliquid aliud, ex vitriolo videlicet, exempli gratia, hujus ſulphur dulce extractum narcoticum.

Statuimus ergo cum Quercetano, in theriaca opij noxium ſulphur, quia ſeparatum non eſt, adeoq; opium ipſum rectius depuratum, ideo theriacam diu infermẽtatam manere. Quercetanus inquit: ſi compoſitioni ſpiritus aciduli & excellentis à vitrioli educti ℥ß adderes, fermentationem promoveres multum.



Exercitatio Octava

Respondente

DANIELE FABRICIO Dantiscano.

Problema I.

An quæ electivè dicuntur purgantia, trahendo hunc vel illum humorem agant, an verò naturam irritando?

Posterius adstruitur.



Iversimodè pharmaca purgare dicuntur: vel quod idem est: variis modis evacuationes fieri. Nam. Quot modis fiat Evacuatio per pharmaca.

3. Alia evacuant molliendo, leniendo & lubricando, ut atriplex, viola, malva, lapathum, & multa olera, cassia, tamarindi &c.

2. Alia adstringendo, & partes superiores instar farciminis comprimendo. Galenus lib. 6. de tuenda sanitate: ut austera & acerba post pastum sumpta, sorbæ, citonia &c.

3. Alia evacuant detergendo, vel infarctu liberando ut absinthium, fumaria &c. Ita Sal absterget, & pituitam manifestá qualitate deducit. Hinc olivæ aceto & sale conditæ antè prandium sumptæ, ex stomacho cruditates abstergent. Sic Guilielmus Arragosius Gallus, trium Imperatorum & Regis Galliarum medicus, allio cum Sale indito purgavit milites

gravi cephalalgiâ & odontalgiâ correptos; doloremque abegit.

4. *Alia nimis ponderando, & deorsum premendo evacuant. Hinc videmus sæpè cerasorum nucleos devoratos alvum solvere. Et Arragosius idem in Gallia cum successu purgavit per pillulas ex plumbo.*

5. *Alia dicuntur evacuare trahendo electivè non quemvis humorem, sed hunc vel illum ex proprietate: quæ vocant propriè purgantia, item electivè purgantia. Et secundum hanc variorum humorum tractionē dividi solet purgans, ut aliud sit Cholagogum, aliud Phlegmagogum, aliud melanogogum, aliud deniq; panchymagogum seu catholicum: educens videlicet vel bilem, vel pituitam, vel melancholiam, vel humores indifferenter omnes.*

Purgans quotuplex.

Quomodo verò hæc fiat attractio, qui accuratiores videri volunt, ita explicant, ac si medicamentum assumptum resolvatur in vapores, qui per totum corpus sparsi, humorem attrahant, & quidem similitudine substantiæ.

Quomodo fiat attractio â purgantibus.

Suaderi potest hæc opinia, quæ omnibus ferè medicis si paucissimos excipias, recepta est, his potissimum rationibus.

Purgantia trahendo agere, quomodo probari possit.

I. 1. *Videmus non à quovis pharmaco purgante quemvis humorem evacuari, sed bilem à Rhabarbaro, scammoneo &c. Pituitam ab agarico, turbith, cnico, colocynthide, hermodactilis, elaterio, mezereo, euphorbio, mechoachanna, myrobalanis chebulis & emblicis: melancholiam à sena, polypodio, elleboro vtroq; myrobalanis Indis, lapide lazuli &c. Ergo electivè purgabit hoc vel illud pharmacum, hunc vel illum humorem. Neq; vana esse posse videtur hæc diversitas purgantium, in cholagoga, phlegmagoga, & melanogoga, à tota antiquitate medica recepta.*

2. *Rha*

2. *Rhabarbarum flavitie tingit excrementa. Signum videlicet est evidens, solam bilem à Rhabarbaro educi.* II.

3. *Authoritates notæ sunt Hippocratis, Galeni, Avicennæ, Averrois, Rhasis, Mesuis, aliorumq́ medicorum tàm veterum quâm recentium.* III.

Nos vero putamus nulla talia dari electivè purgantia, nec agere ea trahendo sed irritando naturam, quæ molestata & irritata, expellit id quod sibi noxiũ & adversum est, quicunq; tandem occurrat humor. Quam sententiam licet alij etiam, vt Ioubertus, Scheckius, & Platerus defenderint: tamen nos pluribus rationibus, ante hac ab alijs non allatis, corroborabimus.

Purgantia irritando agere, verior sententia probat.

I. *Ponamus subiectum aliquod, vel ægrum in quo abundet pituita, nulla vero melancholia: ei propinetur melanogogon: vtiq; pituita evacuabitur non melancholia: quod experientiâ quoq; verum esse scimus. Rursum ægroto, in quo nulla circumfluat pituita, sed alius, vel melancholicus vel biliosus humor exundet, detur phlegmagogum, certò educet humorem peccantem quemcunq;.* I.

2. *Si omnia purgantia, quæ vulgò circumferuntur, ad trutinam examinemus, reperiemus plurima agere non electivè trahendo: sed vel leniendo, vel comprimendo, vel abstergendo &c. aut, quæ electivè purgantia dicũtur, omnes humores respiciunt, & potius panchymagoga, & Catholica debebant appellari omnia, quam vnum aliquem humorem ducentia. Ita rhabarbarum non tantum bilem educit: sed omnes humores purgat, teste experientia, & in magna dosi sanguinem, quod alias de planta quadam refert Theophrastus, in hist. plant. 4. c. 15. & Galenus de herba quadam â rustico quodã Thraceo Bithiniense inventa, & Mercurialis de musco scribit. In parva vero dosi, rhabarbarũ feces alvi exturbat: in maiori quemcunq; proximum humorem naturæ molestum. Sic nõ tantũ rhabarbarũ,* II.

Omnia purgantia sunt Catholica.

Sanguinem purgantia

Sed senam quoq; polypodium, elleborum &c. reperio apud varios authores, ut ut communi opinioni patrocinantes, modò bili, modò pituitæ, modo melancholiæ destinata. Scammonium & aloem esse volunt & cholagoga, & phlegmagoga, Imò alij præscribunt alia simplicia quæ panchymagoga sint, qualia nos omnia quidem esse volumus. Quia ergò authores varij etiam electionem in purgantibus statuentes, varijs purgantibus, modò Catholicam vim purgantem tribuunt, modò duos humores purgantem &c. indicio est, aliquid ipsos ex veritate inscios tetigisse sed domum non reportasse.

III. 3. Cur aliàs, in omnibus ferè compositis purgantibus practici miscerent omnis generis purgantia, & melanagoga, & phlegmagoga, & cholagoga. Quod fieri, observare de facili poterunt, qui in multorum practicorum lectione versati sunt.

IV. 4. Si essent electivè purgantia aliqua, essent utiq; non tantum in vegetabilibus, sed etiam in metallicis. Atqui in metallicis non sunt. Nam ipsi, qui nobis in hac quæstione adversantur, lubentes largiuntur, antimonium & similia naturam saltem irritare, alij vero omnes humores trahere statuunt: quia vident, quemcunq; humorem redundantem ab antimonio exturbari.

V. 5. Hoc argumento constricti tenebuntur adversarij. Si purgant medicamenta, aliquando solo gustu, aliquando solo odore, non rarò inunctione & externâ applicatione, utiq; evacuatio ex irritatione naturæ est, non vero hujus aut illius humoris tractione. At illud est verum. Ergò & hoc. Sequela majoris patet. In attractione enim quæ similitudine substantiæ fit, res attrahenda ad attrahentem ceu terminum ad quem trahitur. Vt Scorpius parti læsæ & ictæ à Scorpione, impositus, ad se trahit venenum, hoc vero non intrò rapitur. Neq; aliter fieri potest. Si enim intrò traheretur, utiq; aliquid intus esset posi-

Attractio similitudine substantiæ quo modo fiat.

tum trahens, quod est contra hypothesin, cum extrà ponamus. Minor probatur. Nam laureola sæpè solò gustu purgat. Evacuatio multis ex improviso contingit, purgantia tractantibus: eamq; per poma purgantia manibus contrectanda, alijs procuramus. Cognita sunt vbiq; unguenta, emplastra, olea &c. quæ ad purgandum inunguntur. Et Iosephus Quercetanus in pharmacopœa sua dogmatica, scribit de aqua quadam ophthalmica, quæ tanta sit virtutis, vt exterius oculo applicata, alvum ipsam sollicitare poßit. | Purgatio fit odore justu, externæ applicatione.

VI.

6. A simili res fiet manifesta, & inductione aliarum evacuationum, quæ ab irritatione naturæ fiunt. Cerebrum per irritantia, vt errhina & sternutatoria se expurgat. Oculi expellunt materiam serosam, si aer frigidior, oculis & cerebro inimicus, aut vapor acris eas contingat. Ventriculus eijcit, quando membrana œsophagi ipsi continua, digito vel penna irritatur. Sic in difficili partu, natura ex irritante aliquo molestata, fœtum expellit.

VII.

7. In hypercatharsi si narcotica adhibemus, sistitur illa: quia partis per purgans medicamentum irritatæ sensus exquisitior obtunditur, & stupesit. Ergò econtrà evacuatio ex irritatione fit.

VIII.

8. Sæpè catharctica propinata, in mulierculis menses, in viris hæmorrhoidas movent. Irritatio ergò non attractio locum habebit.

IX.

9. Attractio hæc purgantium Galenicis fit per similitudinem substantiæ. Atqui purgantia sunt inimica & adversa, non ventriculo tantum sed toti naturæ, & humoribus in corpore contentis. Aut si dices humoribus excrementitiis in corpore contentis & ipsi etiam naturæ adversis similitudinem substantiæ intercedere, cum pharmaco purgante, ideoq; fieri attractionem, quemadmodum magnes trahit ferrum. Respon- | Objectio.

deo. Si hoc esset, nunquam tantam copiam alliceret, ut sequeretur hypercatharsis. Deinde non à distractioribus sedibus ad se traheret. Ergò moventur humores superflui expellendi, quādo partis facultas expultrix stimulatur à Catharctico.

X. 10. *Maxima est varietas humorum, ut tot bilis, pituitæ &c. species. Vnde Gal. dicit varias esse species bilis etiam innominatas: atq; hæ admodum natura diversæ sunt. Aut ergò hic diversis naturis similitudo substantiæ unica respondebit, aut infinita dabuntur Catharctica, hanc vel illam speciem humoris huius vel illius trahentia. Quæ omnia evidenti laborant absurditate.*

Obiectiones. *Cæterum huic sententiæ hactenus firmiter comprobatæ, videntur nonnulla obijci posse, quæ diluenda.*

I. 1. *Cur non sponte, quærat aliquis, excrementa quantitate vel qualitate molesta expellit natura, si irritatio locum habet?*

Resp, *Responsio in promptu est. Nam sæpè mobile videlicet humor non est eiuscemodi quantitatis, vel qualitatis, ut irritare queat. Sæpè movens seu expultrix facultas obtusi sensus est, præsertim si sensim coacervatus sit humor. Sed si simul concurrat catharcticum: duplici obiecto natura irritatur.*

II Obiectio. 2. *Cur in Dyssenteria, quando acris humor intestina vellicat, natura non expellit, sed purgans desiderat pharmacum?*

Resp. *Respondemus humorem illum acrem non totum in intestinis esse; sed etiam in alijs partibus, in venis mesaraicis, in epate &c. Et sensim quidem collectum: atque per eam causam ad expulsionem non irritari naturam. Deinde requiritur vis quædam nauseosa, & naturæ inimica, (nam per nauseam intelligimus etiam id, quod adversum naturæ est, cum aliàs strictè loquendo nausea non sit in polypodio, varijs præparationibus*

Nausea in purgantibus.

nibus, mercurij, antimonij, & tartari, atq; alijs) quæ in purgante pharmaco est: ad cuius expulsionem natura insurgat.

III. Obiectio.

3. Obijci potest: cur non piper, zingiber, aliaq; calida & acria, quæ irritare naturam possunt, non purgant?

Resp.

Respondetur. Catharcticis non est tantum acrimonia & caliditas, verum etiam, vti jam antea dictum est, vis quædam, quæ naturæ bellum indixit, excitans eam ad expulsionem primariò ipsius purgantis, secundariò humoris peccantis: quam qualitatem Chymici cœlestem vocant, & cœlitus venisse asserunt, alij nominant quintam qualitatem, virtutem superelementarem, occultam totius substantiæ proprietatem &c. quia nimirum à tota substantia, vel forma specifica oritur. Res enim non habent tantum ex elementis vim calefaciendi, frigefaciendi, humectandi & rerum etiam vires proprias nobiliores pro formæ natura: & in hoc genere est vis catharctica. Hæc in purgantibus si dematur vel minuatur, vti sæpe fit, per præparationes chymicas, nihil aut imbecillius purgabunt. Vnde piper & similia calida non purgant quia vim illam non sunt sortita. Eiusmodi tamen calida in nonnullis temperamentis diarrhœas excitant.

Vis purgās qualis.

Refutatio rationum pro contraria sententia.

Nunc tandem ad rationes suprà pro contraria sententia allatas respondendum.

Ad I.

Ad 1. Quid statuendum sit de primo argumento, liquet ex quatuor primis rationibus pro nostra sententia adductis. Non enim ita, vti putatur, vnum purgans vni alicui humori est dicatum. Quod verò aliquando discrimen servamus, nec promiscuè hoc aut illo catharctico vtimur; Sciendum certos gradus requiri in irritantibus, ne hypercatharsis sequatur. Vt in bile expurganda vtimur lenioribus; quia alioquin bilis sua acredine sollicitat.

Cur discrimen servetur in propinando purgante.

Et bi-

Et bili educendæ, quæ acris est & calida, quis elleborum, calidissimum & acerrimum adhibere vellet, & non potius rhabarbarum minus acre. Alioquin & hic elleborus valeret: ni prohiberent, æstuationes, inflammationes corporis, & hypercatharses: Corpus namq; Calidum exquisitiori præditum est sensu quam frigidum.

Ad II. *Ad 2. Non ideo existimandum est solam bilem prolectari, quia flavitie tinguntur excrementa, ex rhabarbaro: nam ab hoc humores omnes & etiam menstrua flavedine inficiuntur.*

Ad III. *Ad 3. Authoritates contrà rationes & experientias nihil obtinent.*

PROBLEMA II.

Materia turgens quid significet, & qualis sit?

Medicamenta purgantia non esse propinanda in morborum principiis nisi turgeant humores, præcipit divinus Hippocrates lib. 5. aphorismorum aphoris 22. his verbis: Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν μη ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ τὰ· δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Materiæ Turgentia quid. *Quid vero significet turgere materiam non ita facilè cuivis dispalescit, quia pauci admodum accurate id explicant.*

Opinio I. 1. *Nonnulli humores turgere nihil aliud esse putarunt, quam naturæ molestos esse, & pericula creare ob quantitatem nimiam & qualitatem venenosam aut pestiferam.*

Refutatio. *Sed hæc significatio admodum laxa est, & latior, quam ut humorum turgentiæ, ut ita dicamus, competere queat.*

II. 2. *Alij* ὀργᾶν, *turgere dixerunt esse vehementem naturæ appeti-*

appetitum & impetum extrudẽdorum humorum pravis qualitatibus infectorum. Et vtuntur quidem hac significatione etiam Hippocrates, Aristoteles, Theophrastus, Galenus, & alij.

Sed hæc impropria vocis huius turgere *acceptio est quandoquidem non ad humores ipsos, sed naturam, cuius proprium est appetere, refertur, ex vulgari locutione, quod quando vel alvi excrementa vel urina plus iusto detinetur, tum turgere natura dicatur, inquieta esse & expulsionem moliri.* Refutatio.

3. *Alij per furiosum esse interpretati sunt: quemadmodum animalia ad coitum concitata turgere dicuntur.* III.

Rejicitur autem hæc sententia, quia vocis de qua agimus significatio ad ægros applicatur. Rectius longè sensissent authores illi, si ad humores non vero ad ægrotos applicassent. Refutatio.

4. *Repletum esse, nonnulli exposuêre.* IV.

At si plenitudini tribuenda est turgentia propriè dicta, quia periculum sit, ne in principem partem, vti volunt, deponatur: semper quomodocunque imminet eiusmodi periculum, turgentes pronunciabuntur esse humores, quod admodum absurdum est. Sic Hippocrates athleticam plenitudinem vult solvi, non quia humores turgent: sed quia in summo ista constitutio est bonitatis gradu, vt in deterius, nisi solvatur, labi necesse sit. Refutatio.

5. *Significatio propria & vera est, quæ sequitur. Humores turgent, quando redundantes motum inconstantem habent atque inordinatum modo ad hanc partem, modo ad illam (& tales in summo vitæ discrimine sunt constituti) vt nulla corporis parte firmati, naturam ad expulsionem incitent: ideo directore istius motus humorum ad alvum, nempè instantanea purgatione opus est, teste Hippocrate: qualis non legitur omninò necessaria esse debere prioribus acceptionibus. Veram hanc significationem & genuinum sensum esse, ex aliquam* V. Opinio vera.

 multis

multis Hippocratis, Galeni & aliorū authoritatibus confirmare liceret. Sed sufficit vnū pro omnibus adducere locū ex Galeno, comm. in 1. aphorism. 22. Turgere dicuntur, cū motu vehementi agitantur ab vno loco in alium, & ab ipso morbi principio hominem divexant dolorifici, titillantes & quiescere non permittentes. Et ibidem dicit Hippocratem vsum metaphorâ ab animalibus ad coitum concitatis, quæ semel libidine incensa abstinere non possunt titillata quodammodo & stimulata &c.

Materia turgens qualis.

Cognitâ ergò jam significatione vocis, quid nimirum materiæ turgentia denotet, dubium vlterius admodum est, quæ & qualis materia sit quæ turgere potest.

Opinio. I.

1. Opinio eorū est qui putant non tantū turgere humores qui ad indeterminatū locum mouentur sed etiā, qui ad evacuationis loca feruntur, dummodo impetuosè illud fiat: atq; ijs æquè convenire subitā purgationē, quo faciliùs trahente pharmaco obtēperent ad instar humorū locū indeterminatum petentium.

Cæterum eo tempore quia movet natura, adeò nobis quiescendum suadet Hippocrates in aphorismis sectione 1. aph. 20. Et caveant illi qui putant adeò sæpè in initio purgandum esse, cum tamē expresse dicat divinus senex rarò fieri, vt natura turgeat.

II. *2. Quidā arbitrātur turgere humores, qui ad partes principes ferūtur. Imò nonnulli, vt cōciliator, etiā in loco aliquo collectos vt nobilis aliqua actio impediatur, vt humor in cerebro faciēs apoplexiā, in collo anginam in intestinis iliacā passionē.*

III. *3. Turgentem materiam dici volunt alij illam æquè quæ turgere potest, quam quæ actu turget.*

IV. *4. Manardus arbitratur malignos & pestilenti qualitate præditos humores propriè turgere ideoq; mox expurgandos, ne in membra principalia irruant. Atq; idem de bile intermittentem causante statuit.*

Atqui hos humores initio expurgandos esse, falsum est: Ergò etiam quod turgeant. Cæteroqui putrescentes humores in ventriculis cordis eiusq; substantia pronunciasset Galenus turgentes atq; citissimè expurgandos. Putan-

Putandũ itaq; vnam esse materiæ turgentis speciẽ, videlicet quæ incõstanti metu movetur, nondũ in parte determinata aliqua firmata. Talis a. humor, qui ita incõstãter moveri, adeoq; turgere potest, est sola bilis siue biliosus sanguis, isq; tantũ qui exuberantẽ calorẽ, & exurentẽ cum insigni tenuitate iunctam habet. Tantam enim mobilitatẽ non nisi vehemens & acris bilis induere potis est, neutiquam bilis aliqua crassior, multoque minùs frigidus & crassus humor.

Humor turgere potis qui.

An verò quia Galenus apertè non insinuat qui sint humores turgentes, idcircò omnes indifferenter humores turgere posse adstruendum? nequaquam. Nullibi quidẽ ex professo hac de re disserit Galenus quænã in specie sit turgens materia: at sufficit edocuisse ipsum nomen atq; essentiam, de quibus antea.

Quænã turgentiæ hujus signa sint cũ periculi plurimũ habeat, scire operæpretiũ modo esset. Et turgentẽ quidẽ materiã tantũ periculi creare, vt etiam lethalis sit, manifestum sit, quia partibus principalibus ab humoribus pravis parte nulla firmatis, detrimentũ timetur non contẽnendũ. Adde febrẽ acutã sua natura periculosam esse: & dum purgamus, febris augeri videtur, siquidẽ calidissimo morbo à calidissimis humoribus purgãs quod calidũ est accedit. Deinde paucas dat morbus inducias, ut brevissima etiã hæsitatio interitum procreare queat. Taceo inquietationẽ atq; dolores inordinatos & repentinos in febribus acutis pessime significare, Hippocrate & Galeno cõtestantibus. Et tandẽ periculum etiã auget difficillima turgẽtiæ per sua signa cognitio. Externè tantũ si mouentur humores, facilè quidẽ inconstatẽ eorũ motũ obseruamus. At si internè, admodũ difficulter. Ea propter Medici peritia haud vulgaris & acre iudiciũ requiritur: cõferendaq; sunt inter se signa omnia, morbiq; & ægri cõditiones omnes. Vt si humoribus hisce exurentibus in corpore collectis, febreq; acutissima succensa, statim ab initio dolores sint vagantes cum magna inquietudine, repentini &c. Sed cum primis atq; ante omnia, vt diximus, accedat acris ille judicij medici sensus.

Turgentem materiam periculosam esse, probatur.
1.
2.
3.
4.
5.
6.

Signa turgentia.

PROBLEMA
III.

Doloris causa proxima & adæquata, quænam sit?

Ad dolorē gignendum quæ requirantur.

Ad dolorem gignendum in corpore animalis varia quidem concurrere debent. Nempe, vt pars quæ dolorem sentire debet, paßibilis sit & sentiat necesse est. Non enim lapis, non os, cum non sentiant de dolore participare possunt. Deinde *mutatio fieri debet, quæ sensui inimica sit, præter naturam, & subita insimul, atque violenta.*

De causa doloris proxima, opinio.

Cæterum quænam proxima & immediata causa doloris sit, paucos reperies enucleantes.

I. *Prima opinio eorum est, qui intemperiem aliquam causam doloris aiunt esse proximam, eamque potißimum, quæ ex caliditate vel frigiditate sit. Et pro intemperie stat Averroes lib. 3. Collig. cap. 13. & nonnulli medici.*

II. *Secunda opinio eorum est, qui non intemperiem, sed continui solutionem pro causa admittunt immediata: Estque complurium medicorum, Galenum sequentium libr. de causis symptom. cap. 6. & alibi.*

III. *Tertia. Alij has duas causas conjungunt, & immediatè volunt dolorem oriri ex intemperie & solutione continui, colligentes illud ex Galeni in art. med. cap. 80. lib. 2. de locis aff. cap. 5. libr. 2. de victus ratione in acutis textu 5. & libr. 12. de meth. med. cap. 5. Atque Avicennas omnino hoc statuit. 2. primi, doctrina 2. cap. 19. Et hanc opinionem haud pauci etiam tuentur medici.*

Quarta

IV. *Quarta eorum est, qui propius ad scopum accedentes aiunt, omne tactivum objectum esse immediatam causam doloris.*

V. *Quinta sententia relictis authoritatibus, veritatem ex fundamentis philosophicis venatur: quæ nobis maximè arridet.* Eamque *tuentur Horatius Augenius in epistolis libr. 2. epistola 1. & Andrigetthus de Andrigetthis medicus Patavinus eruditissimus, amicus noster optimus. Statuit verò hæc sententia dolorem pro causa proxima & immediata, habere objectum immoderatum, improportionatum, seu dissentaneum. Quod ut rectius à quovis intelligatur, ita explicamus. Dolor est modus quidam vel affectio sensionis, qui modus aduersus nobis est, tristis & corruptus, ut ita loquamur.* Dolor quid. *Unde dolorem definimus, quod sit tristis vel corrupta sensatio ob objectum improportionatum. Nam omne excellens & nimis vehemens sensibile corrumpit sensum. Perceptio objecti alicujus sensus dicitur, vel sensatio. Hoc objectum si rectè se habet & mediocriter, commodè etiam fit perceptio objecti sive sensatio: si verò non mediocriter objectum est constitutum, sed nimis vehemens; improportionatum est, & dissentaneũ. Atq; huius objecti lædentis & corrumpentis perceptio, fit pravo modo, tristi & corrupto: qui modus perceptionis sive sensationis dicitur* dolor. *Idem ergò objectum est doloris, quod sensus, cum hujus tantum modus ille sit.* Objectum doloris. *Cæterum licet omnis sensus à proprio objecto immoderato affici possit, ut visus fulgore, auditus sono vehementi, gustus sapore immoderato &c. tamen, quia dolores qui tactu percipiuntur, sunt molestissimi & acutissimi, & verò tactus per totum corpus, etiam ubi reliqui sensus habitant, effusus est: ideò maximè objectum tactile (ut qualitates tactiles) immoderatum, causa erit proxima doloris, sive tristis sensationis, quando objectum illud percipitur.*

tur. Vnde Medici sub symptomate actionis læsæ tactus comprehensum voluere dolorem. Quicunq; ergò dolor dabitur, causam habebit referendam ad objectum tale immoderatum, agens violenter seu excellenter, & insimul subitò, in partem sensus capacem: quod tamen includitur, cum objectum nominamus. Objectum hoc erit qualitas aliqua prima vel secunda. A primis qualitatibus quæ fit mutatio vel alteratio dolorifica, dicitur fieri ab intemperie: quia in primarum qualitatum actione magis apparet alteratio, obscurior verò est vnionis solutio, si modò semper vna adest. In secundis verò qualitatibus vnionis solutio est manifestior, alteratio minus evidens: quapropter quæ ab ijs nascitur mutatio dolorifica, à solutione continui profluere vulgò dicitur.

His jactis fundamentis nemo non priores opiniones statim contemnet, nulloq; negotio prostratum ibit.

Refutatio opinionis. I. *Prima opinio, quæ intemperiem pro causa agnoscit, ita labefactatur: si intemperies esset causa doloris proxima, positâ intemperie statim poneretur dolor: at consequens est falsum. Ergò & antecedens. Minor probatur: nam sæpè reperitur intemperies absq; dolore, vti vel in sola hectica apparet. Atq; vicissim absq; intemperie dolor non raro affligit, vt cum pars secatur, extenditur &c.*

II. *In secunda opinione, continui solutio eodem argumento relegatur. Nam*

1. Potest adesse in parte insensibili vt ossi cartilagine &c. vnionis solutio, vbi tamen dolor nullus. Ergo sententiæ hujus propugnatores adæquatam causam non adducunt. Neq; includitur hoc loco in ratione formalis causæ, partem debere esse sensibilem, quemadmodum in ea, quam nos dedimus causam. Quando enim objectum tactus immoderatum nominamus, subauditur statim pars quæ sensibilis est, vel quæ sensum tactus habet.

2. tiam

2. Etiam in parte sensibili per remedia ita disposita fieri potest continui solutio indolorifica.

3. Si solutio continui esset causa doloris proxima, esset etiam objectum sensus, aut solutio aut vnio continui, quemadmodum ex praecedentibus innotuit: atqui neutrum horum est. Ergò nec illud.

4. Doloris totum esse est in fieri; at sæpè post factam continui solutionem dolor remanet ab aliqua qualitate immoderatè se habente: ergò. Sed hæc ratio fortasse non ita vt priores firma est.

Quod si verò detur solutionem continui in dolore semper adesse, admittenda erit, vt causa sine qua non, vel conditio sine qua non fiat dolor.

Tertia opinio refutatur facilè, 1. quia duas causas proximas & immediatas vnius effectus affert. Remotæ causæ dare possunt plures: proximæ verò, quamvis nonnunquam plures sint, ad vnam tamen communem efficiendi rationem debebunt reduci. Deinde refutari potest ad instar duarum priorum. III.

Quarta opinio in eo aberrat, quod simpliciter tactivum objectum pro causa proponit. Ita enim in omni sensione fieret dolor, cum in omni sensione hæc adsit causa. Oportet ergò ad hoc materiale aliud quid addere, quod formale & restrictivum, ob quod qualitates tactiles dolorem inferant. Atqui hoc in quinta sententia, quam defendendam nos suscepimus, haud quaquam desideratur. IV.

PRO-

PROBLEMA IV.

An dari posſit ruptorium indolorificum?

Affirmatur.

Non hic de Septicis eſt ſermo: quæ, ſatis notum eſt, fermè eſſe indolorifica, quia putrefaciunt maligna qualitate, à qua ſenſus obtunditur, & ſpiritus necantur. Verum de eſcharoticis quæritur, quia horum frequentior vſus eſt, in praxi medica & chirurgica, & præſertim commendatur tempore peſtis, ſi bubonibus applicentur: quod ipſum factitat clariſſimus & celeberrimus ille Iohannes Bauhinus Illuſtriſſimi Ducis VVirtenbergici Archiater &c. amicus noſter & fautor æternum honorandus, qui hac de re vberrimè per literas nobiſcum verba commutavit. De eſcharoticis, inquam, quæſtio inſtituitur, an ita præparari poſſint, vt abſq; dolore operentur.

Causticorũ vſus in peſte.

Negativa ſuaderi facilè poteſt, ob veri ſimilitudinem. Nam

Eſcharotica abſque dolore non operari poſſe ſuadetur.

I. *1. Non videtur aliqua ſolutio continui abſq; dolore fieri poſſe.*

II. *2. Eſcharotica cum non maligna qualitate agant, vt ſeptica, ſed calore igneo atq; fortiſſimo, ob hoc objectum minus proportionatum, dolorem inferri maximum neceſſe eſt.*

III. *3. Materiæ craſſities videtur etiam non poſſe non dolorem ingentem & cruciatum intolerabilem cauſari, ſi Galeno creditur putanti cauſtica ob ſubſtantiæ craſſitiem penetrare neſcientem, intra particulæ poros hærere, & ſtipitis inſtar infixa, dolorem exci a e.*

4. Autho-

4. *Authoritates etiam doctissimorum virorum affirmativæ refragari videntur & statuere potius, cauteria potestate operantia, etiam quæ opium recipiunt, non absque dolore actionem suam exercere posse. Gabriel Fallopius tria ruptoria proponit, quæ opium admittunt: illa tamen mitiora tantummodo appellat. Ambrosius Paræus, quando suum illud sericium extollit, ac si absque dolore opereretur, addit: si præsertim pars ex se indolens sit; ac si ipse de virtute huius cauterij tanta dubitandum & desperandum annueret. Felix Platerus in praxi sua dicit, exiguo cum fructu opium addi, quantum sibi observare licuit.* IV. Fallopius. Paræus. Platerus.

Verum nondum in eam descendere possumus sententiam: quin contraria potius arridet, posse nimirum dari aliquod ruptorium absq; dolore operans. Nam Dari posse Ruptorium indolorificum, verior sententia probatur.

I. *Si non ex parte agentis; tamen ex parte patientis sive recipientis fieri potest: vt hujus sensus ita obtundatur, quo doloris expers fiat: quemadmodum in narcoticis infinita & manifestissima habemus exempla.* I.

2. *Si fiant cauteria, vt lentè & sensim operentur, non difficile fuerit dolorem declinare.* II.

3. *A simili res plana fiet. Plurima enim reperimus exempla partim non edita, partim verò ab antiquis & neotericis authoribus divulgata, de doloris carentia, in vrendis, secandis, verberandis &c. Possumus namque arte efficere, vt quis citra dolorem castretur, vratur, pungatur, secetur, vt, quis ignem & ferrum ignitum manibus tractet, vt quis absq; dolore omne frigus perferat &c, ad quæ commendantur cicuta, palma Christi, torpedo, semen erucæ, adeps crocodili, corium lacertæ, creagomagnes &c. Dentes item absque ferro & dolore, varie extrahere haud pauci norunt. De his videantur non-* III. Dolorem fugantia.

nulla apud Dioscoridem, Rhasin, Scribonium, Cardanum, Montuum. Etzlerum, Portam, & alios. Hæc omnia si ita sunt & fieri possunt, cur in nostro hoc negotio desperandum? Cur non adhibita debita præparatione ruptorium dabitur indolorificum, & sine opio fortè aut cum opio, succo hyosciami &c. & quid, si cum sarcophago?

IV. Solinãder. 4. Authoritates nobis non desunt. Reinerus Solenander consiliorum medicorum, S.1. Cons.11. & alibi in consilijs, ait se habere tale medicamentum ex antimonio, quod promptè sine vllo dolore, vt mirum dictu sit, operetur. Hieronymus Montuus in praxi ait: escharoticum absque dolore, constat ex molli sapone, calce viva, & opio. Guilielmus Fabricius Hildanus, in observationibus suis inquit: ruptoria facta e x cinere sarmentorum & calce viva, ilicò & indolenter profundam faciunt escharam. Theodorus Zvvingerus πυράπυρον quoddam habet ex albo nihil passo, rubro, & nigro vnctuoso. Cujus integram descriptionem, in tractatu nostro de cauterijs, studiosis communicabimus. Et hac de re aliquando cum filio magni parentis haud minori Iacobo Zvvingero, amico olim nostro (heu olim! quem invida & importuna fata nimis immaturè reipublicæ medicæ sustulêre) contulimus qui hanc quam tuemur sententiam suo donavit calculo. Bartholomæus Maggius de vulnerum sclopetariorum curatione, cauterium adducit indolorificum, quod supremis ad sidera extollit laudibus. Platerus ipse in praxi manifestè dicit, cauteria dari, quæ citò, & interdum etiam sine dolore operantur. Horum & similium, præsertim ante hac non vulgatorum magnam segetem exhibebimus, in tractatu de cauterijs, si Deus vitam & sanitatem indulserit.

[Margin: Montuus. Fabricius. Zvvingerus vterq;. Maggius. Platerus.]

Ad contraria ergò argumenta jam nos accingimus.

[Margin: Refutatio rationum pro parte contraria.]

Et pri-

Et Primi solutio patet ex præcedenti problemate. Ad I.

Secundum refellitur ex modò dictis in hoc problemate: posse nimirum ex parte recipientis obtundi sensum, ne dolor sentiatur, posse item parari ruptoria lentè & tardè agentia. Ad II.

Tertium argumentum, licet ex Galeni sententia sit depromptum: tamen reijciendum, quia sententia illa nimis est ridicula, & tanto viro indigna, cum & philosophiæ & medicinæ præceptis repugnet. Non enim immediata doloris causa est crassities substantiæ, sive Philosophi consulantur sive medici. Ad III. Galeni error.

Ad Quartum. Authoritatibus paucioribus plures nos opposuimus. Ad IV.

Atque ita, quidem de hac quæstione, quam nemo adhuc ex professo tractavit, quid sentiendum sit, haud obscurum esse potest.

PROBLEMA V.

Rosa Hierichuntina an rosa sit, an amomum Dioscoridis, an aspalathus, an convolvolus, an viola vel violaria, an Erica?

Negantur omnia.

Rosa hierosolymitana sive sanctæ Mariæ Hierichuntina communiter appellatur, eo quod non procul ab Hiericho olim civitate percelebri, in Palestina hierichuntinis hortis aut agris provenire haud pauci autument, Quamvis ijs contradicat Hierichunthinam falso dici hãc Rosam.

 experi-

experientia, vti videre licet apud Bellonium. 2. observat. cap. 86. & Munsterum in Cosmographia sua, in descriptione civitatis Hiericho, qui ibidem habet tantum à peregrinis emi, ex vicina Arabia, vbi nascitur, translatam. Falso itaque Hierichuntinam appellari apparet.

Stirpē hāc non esse Rosam.

Sed & rosam injuria vocitari innotescere cuivis potest, qui stirpis hierichuntinæ vti vocant naturam exactius atque attentius examinat. Est enim 1. stirps integra radicem habens, ramos, folia, flores, fructus, semina. Et quidem suffrutex est, cùm humilior sit Rutâ, salviâ, & hyssopo &c. Deinde caudices habet divisas in plurimos ramulos lignosos, duriusculos, hosq; introrsum flexos atque ita convolutos, vt quasi orbem quendam constituant. Præterea folia, flores & folliculos oblongos hujus stirpis si quis considerat, vti & eiusdem proprietates & qualitates tam manifestas quam occultas (quæ omnia hic recensere instituti nostri ratio non patitur) clarissimum evadet, stirpem hanc neque ad Ericam referri posse, neq; ad convolvulum, neq; ad violæ vel violariæ genus, quemadmodum vult Sturmius.

Stirps hæc an sit Aspalathus.

An verò aspalathus dici potest, vt est opinio Gesneri, referente Iunio in nomenclatura? Nihil minus, Aspalathus namque, authore Dioscoride est frutex surculosus, multis spinis horrens, detracto cortice rubescens, aut in purpureum vergens, densus, odoratus, gustu amarus. Et Plinio aspalathus est spina candida magnitudine arboris modicæ. Quæ omnia quam benè conveniant cum stirpe hac, de qua modo verba facimus, nemo non videt.

Sed tandem præstantiorum authorum superest opinio

esse

esse amomum à Dioscoride descriptum. Et huic patrocinantur vterq; Cordus, Lonicerus, & Iulius Cæsar Scaliger. An sit Amomum Dioscoridis.

Cæterum amomum Dioscoridis nequaquam esse aut vocari debere, rectè probat Musa, cui consentiunt Lobelius, Dalecampius, Matthiolus & alij. Nam licet aliqua quæ de amomo scribit Dioscorides convenire possunt, tamen sequentia admodum discrepant, vt quod Dioscorides describit, habere folia Brioniæ, origanum redolere, atq; ita odoratum esse, vt nares vulneret.

Statuendum itaque potius tanquam verisimile hanc rosam Dioscoridi non fuisse cognitam, ob locum eius natalem Arabiam.

PROBLEMA VI.

Rusma Turcorum an pyroticum sit?

Negatur.

Rusma Turcis nominatum, sub quibus provenit, & frequenter vsurpatur, vim causticam possidere statuunt quam plurimi, eò quod mulieribus Turcarum, ad partes obscœnas, & axillas depilandas, glabrasq; conservandas, nullo pilorum remanente vestigio, longè sit commendatissimum. Vtitur autem Turcarum populus paulo antè balnei aut hypocausti ingressum: sed lævigatur prius rusma in tenuissimum pulve- Rusmatis vsus apud Turcas.

Modus Vtendi. *rem, & addita parte media calcis vivæ pulveris, in aqua maceratur, inungitur, & post ea in balneo statim iterum una cum pilis abstergetur.*

Rusma temperatū esse. *Verum temperatum potius esse rusma verisimile est 1. ita indicante gustu, quippe nihil acrimoniæ aut quod caliditatem aliquam prodat insignem, percipiente. 2. nec contradicente tactu. Non enim partem adurit, & tamen pilos adeò celeriter & indolenter perdit locaq; quasi lævigat, ut inpsilothris dignitate primum audiat.*

Rusma quid. *Est autem rusma minerale quoddam peregrinum excremento seu scoriæ ferri simile: sed lævius, nigrius, & quidpiam*

Platerus. *adustum referens. Felix Platerus tractatu 3 praxeos ait: fortè calchani hoc rusma genus aliquod erit, sorus vel melantheria*

Bellonius. *vocatum. Videatur Bellonius observationum lib. 3. cap. 33, & 35. qui scribit hujus mineralis tantum usum esse, & tantum pretium in Turcia, ut Imperator Turcarum (Iudæis referentibus) singulis annis Ducatorum octodecim millia tributi nomine accipiat ab eo, qui illius mineralis vectigal recipit; nullumq; veterum aut recentiorum, quod sciat, meminisse ait.*



EXERCITATIO NONA.

Respondente

ANTONIO FABRI

Crosnâ Sil.

PROBLEMA I.

Res non-naturales Medicis dictæ an rectè dicantur morborum causæ?

Negatur.

DE causis morborum Medici verba facientes, communiter eas dividunt in Internas & Externas; & Internas in antecedentes & coniunctas. Externas verò causas, quas alij Procatarcticas vocant quasi præincipientes, & naturam irritantes, res illas non-naturales esse dicunt, ut sunt: assumpta, secundum ea quæ fiunt animo vel corpore, Excreta & Retenta, foris adhibita. Vel ut alij ad quatuor capita referunt: assumpta, gesta, educta, retenta. Vel vt vulgò recensent: Aer, Cibus & Potus, somnus & vigilia, motus & quies, retentio & evacuatio, animi affectus vel perturbatio. Quas sex res non-naturales appellitant; quia ad naturam nostram, vel corpus constituendum non faciunt, quemadmodum Elementa, spiritus, humores &c. Cæterum an rectè causæ dicantur, vti communis fert locutio, quæritur? Nos pro negante stamus, & dicimus causam hanc, quam vocant Procatarcticam ne nomen

Causæ morborum quotuplices. Res non naturales quæ.

An causæ rectè dicantur.

An remotæ causæ. Negativæ probatio.

quidem remotæ causæ mereri. Nam præstaret saltem perpetuo cognitionem effectus. Nunquam n. absq; causa remota tanquã necessario concurrente emergit aliquis effectus. At potest fieri calidus humor sine errore commisso in rebus non-naturalibus calidis; & gigni potest pituita, etiamsi delictum non sit in rebus non-naturalibus frigidis. Imò ablatis omnibus externis frigidis, humores & morbi frigidi procreari possunt. Sic multi hyemali tempore bilioso vexãtur humore, alij æstiuali pituitosum experiuntur. Sæpè senes ex effræni bile in ardentißimas febres incidũt, Multi assueti Veneri, exercitijs, vinis generosis &c. Paralytici & Cachectici fiunt. Neq; cõsecutio firma est: præcessit aer fervidus; postea verò in morbũ lapsus est patiẽs: Ergo humor peccans est bilis. Quod ita de alijs quoq; intelligendum.

Sed neq; omnes res non-naturales simul junctæ tantam habent, efficaciam, vt causæ remotæ vicem subire queant. Nã causa remota prædicatur de effectu κτ̓ παντὸς. Vnde Philosophis dicitur virtualiter in proxima. Atqui hydropici, Cachectici, Paralytici &c. multi reperiri possunt, quibus omnes res non-naturales calidißimæ præcessère. Ita videmus sæpenumero post usum rerum calidarum in æstate ægrum pituitosa destillatione infestari.

Manifestum itaq; est, ne remotæ quidem causæ nomen competere rebus non-naturalibus simul conjunctis, multo minus singulatim uni.

Vera sententia.

Rectius prisci, & ipse Hippocrates atq; Galenus, res non-naturales vocarunt προφάσεις occasiones: Quibus nos libenter subscribimus.

Causæ peccantiũ humorũ quæ.

At quænam, inquies, exclusis rebus non-naturalibus, peccantium humorum causæ sunt? Causæ peccantium humorum sunt morbosi apparatus & dispositiones viscerum, quæq; necessariò ad has dispositiones concurrunt. Nam Aristotele & Galeno

leno sentrentibus, magis verò adstipulante veritate, sine subjecta dispositione nulla fit actio. Neq; enim ignis urit, aut absumit subjectum incombustibile, neq; gladius scindit duriores lapides, quia subjecta passura dispositione tali destituuntur. Vnde monet Galenus 1. ad Glauc. 2. multos arbitrari, sæpè totũ morbum consistere in præcedente causa ex nimia vini potatione, irâ, &c. neq; aliam subesse dispositionem: quos aberrare pronunciat Et alibi Galenus de Sileno inquit: propter errores incidit in diariam; sed in Sileno erat præparatio morbosa. Apparatus vero & dispositiones eiuscemodi diversæ in similaribus sunt & dissimilaribus partibus. In malignam febrem prolabitur Silenus tum suâ naturâ conspirante, tum ob fervorẽ Epatis magnum quem ob multas, uti vocant causas Procatarcticas comparaverat; qui fit juxta Galenum à motu, obstructione, adhæsu sive vicinitate corporis calidi, & alimento. Hisce enim ad humores calidos disponuntur viscera. Et horum aliquorum semina in Sileno latitabant. Hic ergò apparatus varius in morbis frigidis, calidis &c. est causa immediata generationis morborum: Quæ dispositio admodum magni est momenti; & diligentissimè à Medico in praxi felicitatem aucupante inquiri atq; cognosci debet, ex antecedentibus signis; ut hæreditate, ætate, robore, habitu coproris, intermissa aliqua evacuatione: atq; subsequentibus signis, ut actionibus naturalibus, vitalibus & animalibus, item ab excrementis; quæ omnia hic inserere alienum foret.

PROBLEMA II.

Vndè ultima differentia specifica affectuum desumi debeat?

Forma & differentia specifica atq; ultima cujuscunque affectus ex proprio subjecto desumi debet. Est enim accident

differentia ex subjecto. *Subjectum hoc affectuum, sunt partium corporis differentiæ. Sic ulcus in varijs locis varias affectuum differentias specificas progignit: nam sub genu, vel supra genu, in brachijs, vel Inio esse potest fonticulus sanitati conferens, in pulmone Phthisis. Sic dolor in membrana est punctorius, in carne lacerativus seu divellens, in arterijs pulsativus, in nervis convulsivus, in Periostijs frangitivus, in viscere exigui sensus gravativus.*

Dolor quo tuplex.

Objectio. Responsio.

At obijcere licet, locum affectum respectu affectus esse accidens separabile. Respondetur ita esse, quatenus locus communiter consideratur, quemadmodum risibile accidit animali, & Pleura sine inflammatione esse potest. At consideratus locus affectus in quolibet affectu secundum differentias specificas, fit convertibilis. Sic Pleuritis non est inflammatio nisi in Pleura.

Porrò differentiæ partium corporis, quæ affectibus cunctis dant esse specificum, ex quatuor fontibus juxta Galeni doctrinam à Curtio colliguntur. 1. ex partibus, tanquam proprijs subjectis. 2. Ex ijs, quæ necessariò consequuntur. 3. ex accidentibus. 4. Ex operationibus naturalibus, vitalibus & animalibus. Alij distinctius decem proponunt, ex quarum qualibet magis vel minus variatarum specifici emergant affectus: Et sunt, Meatus, figura, situs, compositio, initium, substantia, temperatura, numerus progressus, & officium partium. Exempli gratia, dolor pulsativus vel pulsans dicitur in arterijs non ob situm, substantiam &c. Sed ob officium, quod est pulsare. In carne dicitur lacerativus ob situm. Nam in carne musculosa sunt dissociati tenuissimi nervorum surculi, atque etiam tendinosi. In visceribus parvi sensus dicitur gravativus ob numerum nervorum, quo carent ista viscera.

Sic etiam colligitur, quid agendum sit, ex partium substantia, progressu, situ, figura &c. Ex substantia: ut aliter agendum

dum esse in parte dura, ut ossibus, aliter in molli, ut carne. Ex progressu: ut in sectione venæ Basilicæ caute agendũ esse, quia subtus sunt, nervus & arteria. Ex partium situ: ut emplastrũ reni dextro adhibendum inferiori loco, quam sinistro, quia hic illo elatior. Ex figura: ut aliam esse debere figuram cerati applicandi Epati, aliam ventriculo.

PROBLEMA III.

Quænam vera sit Periodicationis causa?

In affectibus præter naturam multa occurrunt, in quorum causas diligentius inquirunt Medici. Et si quid occurrit, cujus causa pervestigatu difficilis est, cognitu autem admodum utilis: utiq; est Periodicatio, vel morbi per vices certas reditus. Quæritur ergò, quænam sit omnis Periodicationis causa, exempli gratia, cur febres aliæ quotidie revertantur, aliæ tertio quoq; die, aliæ quarto &c.

Hic admodum ob rei obscuritatem & difficultatem à se inuicem dissident doctiorum Medicorum sententiæ. Opiniones de periodicatione.

I. Opinio est Averrois, qui inquit, naturæ & calido innato proprium esse, movere, coquere, attrahere & retinere amicum, & expellere inimicum. I. Opinio.

Sed hæc opinio non stat recto talo: non enim rationẽ dat, cur citius moveatur hæc vel illa febris, vel si ex Galenicorum sententia de febrium causis loqui volumus, cur citius moveatur Pituita, quam bilis; & bilis, quam Melancholia: licet in talibus febrium causis cum Galenicis non per omnia consentiamus. Et Averroen quod attinet, naturæ periodicationem Refutatio.

adſcribentem, videtur potius paroxiſmus moveri à cauſa præter naturam.

II. 2. *Opinio eſt* Conciliatoris, *qui vult Periodicationem pendere à motu Lunæ, & humorum forma.*

Refutatio. *Sed variè peccat hæc ſententia. Nam primò duas adfert unius rei cauſas. 2. cauſam nimis remotam adfert. 3. non explicat, quomodo fiat, quod citius vel tardius revertantur affectiones morboſæ.*

III. 3. Gentilis & Herculanus *ad proprietates occultas fugit.*

IV. 4. Capivaccius *ad naturam humori propriam.*

V. 5. Fernelius *ad qualitatem inſitam propriam, ſeu* ἰδιοσυγκρασίαν.

Refutatio. *Sed hi omnes, ne videantur tacere, aliquid dicunt, nihil explicant.*

VI. 6. Franciſcus Valleſius *cauſam periodicationis in copia humorum conſtituit: & pituitam arbitratur velocius bile, quia copioſior eſt alijs humoribus, moveri.*

Refutatio. *Sed neq; hæc opinio firmis innititur fundamentis, nam, ut nihil dicamus, de febrium cauſis, nunquam fortaſsis in pituita reponendis: ſi bilis extra venas eſſet in copia maxima, moveretur citius, quam quando pauca eſt. Atqui hoc falſum. Nam ſemper tertio die movetur Tertiana. Ergò copia humorum vera non poteſt conſtitui Periodicationis cauſa.*

VII. 7. *Quidam ex recentioribus ad varia putredinis inquinamenta confugiunt, atq; iјs viciſsitudines, regreſsionesq; morborum adſcribunt.*

Refutatio. *Sed & illi cauſam nullam manifeſtè explicant, cur hæc, quam illa febris moveatur velocius.*

IIX. 8. *Tollerabilior eſt ſententia* Franciſci Parelli, *qui inquit cauſam venandam ex diſtantia viſcerum (quæ domicilia humorum ſunt) ab orificio ventriculi. Putant enim, quia ventriculus*

triculus sedes est pituitæ, & orificio proprio proximus; ideo si peccat ejus humor, quotidianum fieri circuitum. Vlterius Epar, humoris biliosi sedem esse arbitratur, & quia ab ore ventriculi Epar magis remotum est, ideò tertio quoq; die moveri bilem. Lienem Melancholici humoris domicilium esse autumat, & Lienem maximè à stomacho distare, ideoq; tardiori circuitu remeare, nempè quarto die paroxismum Melancholicum. Atq; hæc colligit ex Galeno dicente, quotidianam febrem fieri in ventriculo, Tertianam in Epate, Quartanam in Liene.

Refutatio. 1. *Sed multa in hac sententia, ut ut prioribus tollerabiliore, desideramus. Et omnium primò reprehensione dignũ est, quod ab ore ventriculi distantiam desumpserit, cum potius à Corde fuisset accipienda.* 2. *Deinde quid respondebit, si objicitur Tertiana ex bile extra Iecur peccante, & Quartana ex Melancholia extra lienem.*

IX. Opinio verior. 9. *Opinio omnium verisimilima est, quam cum* Platero & Sanctorio *amplectimur. Vult autem hæc, causam Periodicationis veram esse situm partium affectarum atque distantiam à corde. Et præcedente problemate confirmavimus à locis affectis affectibus præter-naturam tribui esse specificum.* Comprobatio. *Et si affectibus; qui proprietates subjecti, per quod definiuntur, sunt, cur non & periodus? Quo ergo major distantia est loci affecti à corde, tanto periodus est longior, tardiusque affectus præter-naturalis revertitur: & si humor peccans vicinus cordi est, affectio fit sine circuitu.* Febrium causæ. *Quamobrem rectè statuitur continuarum febrium causam residere in vasis cordi vicinis, ut venæ cavæ trunco, eiusque ramis: Intermittentium verò humores peccantes in vasis Mesenterij stabulari. Nam venæ cavæ quilibet surculus etiam à corde remotissimus, cordi magis respondet quam vel proximus Mesaraicus, quia citius halitus putre-*

putredinosi, ex ramis cavæ corpetunt, unde febris continua fieri potest, ob vasorum continuum ductum. Alij verò qui in communi de febrium causis sententia constanter permanent, dicunt pituitam, quia sedem habet in parte cordi vicina, nempè ventriculo, ideo quotidianam ex se progerminare febrem: Bilem verò Tertianam, quam dicunt esse modo in Epate, Mesenterio, variis partibus hypochondriorum &c. Melancholiam tandem Quartanam parere, eò, quod maxime distet à corde, sitq; in liene, vena Portæ, & aliis partibus. Contra quam sententiam multa quidem nobis disputanda essent, nisi alium in locum, eumq; commodiorem rejecta haberemus.

PROBLEMA IV.

Cur, cum Epar est nimis calidum, ventriculus frigescat?

In ijs, qui caliditate Iecoris nimia infestantur, ventriculum frigidiorem evadere, nemini dubium est. Quæ verò causa hujus rei sit, non æquè feliciter omnes exponunt.

Opinio quorundā.

Quidam illam tuentur sententiam, caliditatem Epatis intensiorem, ventriculi moderatum, vel remissiorem extinguere calorem, absumere, & in sese absorbere: Quemadmodum (inquiunt) majus lumen extinguit minus.

Refutatio.

Verum uti falsum est, lucem majorem extinguere minorem, cum potius augeat, (sed minus lumen, ob majus non videtur, propterea quod sensus excellentiore sensibili occupatur) ita falsissimum, Epatis calorem ventriculi absumere. Calor enim calori similis est; Et verò similia gaudent potius similibus atq; se invicem adjuvant, augentq; non verò destruunt per se aut extinguunt. Videmus calorem ignis intensissimum lebetem

lebetem moderatè ferventem non refrigerare: Ita neq; calor magnus partium ventriculum circumjacentium, & ad coctionem juvantium frigiditatem aliquam inducit. Sunt enim partes illæ veluti focus & carbones; Epar intelligo, Diaphragma, Intestina, Omentum, Pancreas, Lienē, vasa majora. Quæ omnes partes ventriculum instar prunarum ambientes calefaciunt. Quapropter Iecur valdè calidum per se utile est primæ coctioni, nec ventriculum refrigerat.

Opinio vera & eius declaratio.

Verior sententia est, Epar calidius per accidens ventriculum refrigerare, & primæ coctioni cum per se utile sit, inutile tamen esse mediate & ex accidenti. Nam hypochondria facit tenuia, viscerumq; pinguedinem liquefacit & absumit. Atq; hæc causa ab ipso Galeno reddita est 2. aphor. 35. ubi ait, hypochondria tenuiora esse mala, ut signum & ut causam. Vt signū: imbecillitatis videlicet in eliquatis partibus. Vt causam: quia læditur concoctio prima & ob hanc secunda.

Calefaciunt autem ventriculum, ejusq; coctionem adjuvant crassa hypochondria. 1. ex accidenti. Quia conservatur ventris, viscerumq; circum jacentium calor unitus: dum ob crassitiem prohibetur ab exitu & evaporatione calor. 2. per se. Habet enim pinguedo vim calefaciendi, quippe, cui insita est caliditas & humiditas viscerum calori proportionata. Vnde ad coctionem Apostematum animalium pinguedine nihil præstantius. Et ut fiat pus perfectum adjunguntur integumenta vel Emplastra calorem, ne foras evaporet retinentia, adjunguntúrq;, quæ ob similitudinem juvant, calida & humida.

Cur crassa hypochondria coctionem ventriculi adiuvent.

Ex accidenti ergò, non vero per se Epar calidum ventriculo frigiditatem offundit.

PROBLEMA

V.

In affectibus orificij ventriculi, ubinam applicanda sint Topica?

Opinio Galeni & communis.

Ore ventriculi affecto an à parte antica, an à postica localia applicare debeamus, ambigitur. Galenus libr.13. de M. M. cap.17. ita ait: Ingula, quæ proprie vocatur stomachus, Cataplasmata supra spinam dorsi imponimus, non autē in parte anteriore, quemadmodum cum os ventriculi phlegmate laborat. Vult itaq; Galenus, aliĳq; plurimi, qui eum sequuntur præstantissimi Medici, in oris ventriculi affectibus anteriori parti prope cartilaginem ensiformem duobus nimirum digitis infra admovenda esse Epithemata.

Refutatio.

Verum non satis hic attendere videntur ad situm orificij ventriculi sinistri. Est enim hoc, non, ut multi putant, sub mucronata cartilagine sed nonnihil ad lævam inclinat, & dorsum versus, ita ut spina quam cartilagini ensiformi longè sit vicinius. Quamobrem quando os ventriculi intemperie aliqua laborat, spinæ dorsi tanquam parti viciniori rectius applicantur localia. Quod quidem sentimus cum Fernelio, Sanctorio & Bauhino.

Situs orificij ventriculi.

Verior sententia.

Objectio.

Nonnulli, ut Galenum tueantur, inquiunt, anteriori parti longè rectius applicari Topica: quia in posteriore parte adsunt nimis crassi musculi, atque ipsa spina: Anterius verò citius & facilius penetrare potest vis medicamenti, quia via, licet longior sit, tamen tenuior, expeditior & magis pervia.

Responsio.

Cæterum minus attentè considerant, nobilem illam partem, cujus magna pars sub cartilagine Ensiformi reperitur, cui ex applicatione Topicorum non parum damni & intemperiei accedere.

accedere potest. Nam si parti illi in qualitatis aliquo excessu medicamenta adhibentur, utiq; læditur Epar, & qualitate ista imbuitur.

PROBLEMA VI.

An semper verum, ubi dolor, ibi morbus?

Negatur.

Hanc sententiam, ubi dolor, ibi morbus, sæpißimè falsam esse, manifestum est consideranti diligentius communionem musculorum, nervorum, membranarum &c. aut aliam aliquã συμπάθειαν. *Ita exempli gratia, persentiri dolor potest in jugulo, quando inflammatio Pleuræ est circa medium pectoris. Atq; hoc ob membranæ hujus in jugulo alligationem. Sic sæpè numero per sympathiam affectus apparet in manu, qui in cervice est. Et in brachio apparere potest, qui in quinta vertebra thoracis est. In vertebris oßis sacri existens affectus apparere potest in pene. Læsis temporibus læduntur oculi. Atq; alia eiusmodi exempla quamplurima afferre non est difficile.*

Probatio negativæ

Quamobrem universale non est, vulgatum illud non nullorum: Vbi dolor, ibi morbus.

PROBLEMA VII.

An ubi pus, ibi ulcus?

Plures adhuc autores universale statuunt: Vbi pus, ibi etiam ulcus est. Sed aliter aliquando se rem habere, observa-

Platerus. *tur, quando mutatio fit in materiam puris substantiam & accidentia referentem. Atq; hanc sententiam* Felix Platerus. *Archiater Basiliensis, præceptor noster dupliciter probare solet. 1. ex humore aqueo in oculo. 2. ex pulmonibus, vbi pituitosa materia vel per defluxionem, vel per congestionem inibi simplicem collecta puris faciem & formam non rarò refert.*

PROBLEMA VIII.

An pulsum instrumentis dimetiri possimus, & cum pulsu præteritorum dierum conferre?

Affirmatur.

Quemadmodum pulsuum doctrina admodum difficilis est & obscura, ita & praxis sphygmica difficultatis non parum obtinet. Quamobrem varij variè ad hanc doctrinam meliori luce illustrandam sese accinxêre. Vnicus Sanctorius de Sanctorijs Medicus Venetus, vir vti ingeniosissimus, ita & eruditissimus, amicus noster honorandus, pro ingenii sui, quo pollet, acumine; Pulsilogium quoddam excogitavit, quo dimetitur exactè arteriæ motus & quietes, vt cum pulsu præteritorum dierũ comparatio institui queat. Per hoc organum nonnulla percipiuntur, quæ alioquin impossibile est cognoscere. Vt 1. sciri potest cotidie, quantum ægri recedant in crebritate à statu naturali. 2. quâ hora desinat augmentum, & incipiat status atq; declinatio. 3. Quam crebritatem, intermissionem, & quietem externam quodlibet indiuiduum perpeti potest, aut non. 4. Metiri licet, quietem Diastoles, & quanta sit quies externa. 5. Cognoscere datur intermittentiam, an arteria quiescat per vnum ictum, duos &c. Quæ omnia vna cum instrumenti hujus vtilissimi

[Margin notes: Sanctorius. — Pulsilogiũ. — Eius vsus. 1. 2. 3. 4. 5.]

ſimi fabrica uberrimè autor ipſe aliquando explicaturus eſt, in libro ſuo de organis varÿs Medicinæ Mechanicis, plane dædalicis. Atq; utinam fœtum hunc ſuum tam rarum, non diu nimis Reipublicæ Medicæ invideret.

Pulſilogium autem hoc, quod Venetÿs amicè nobis demonſtravit, & particulatim declaravit, habet æqualium motuum differentias centum triginta trium, incipiendo à motu rariſsimo ad creberrimum, & tot inæqualium motionum ſunt differentiæ.

PROBLEMA IX.

Quid ex vrina judicari aut non judicari queat?

Vroſcopiæ hodie tantum tribuitur à plebeia hominum multitudine, ut in urina tanquam univerſali ſpeculo omnia videri, & prævideri poſſe nimis pueriliter exiſtimetur. Vnde à Medico neſcio quis non hodiè urinæ inſpectionem & vaticiniũ quaſi ex tripode Apollinis flagitet. Medicus ſi detrectat, neque omnia ſingulatim inſtar vatis enarrat, etiam quot annorum uxor vel filius ſit, ſtatim imperitum & indoctum eum proclamare multi non erubeſcunt. Non quidem ignoramus, Iudæos nonnullos atq; Agyrtas plures inſpiciendi urinam modos callere, & plurima de abſente ægro vera vel ad ſtuporem uſque recenſere. Verum quâ arte, quoq; adminiculo, norunt emunctiorũ narium homines, ut de rebus ſuperſtitioſis atque diabolicis hoc loco verba plura facere, neq; velimus, neq; debeamus.

Quantum ergò & quouſq; Vroſcopiæ credendum ſit, breviter nunc indagandum, omiſsis aliorum variis atq; nugatorÿs opinionibus. Atq; initio tenendum ex ſola urinæ inſpectione

De quibus ex urina nihil judicari queat.

one nihil fermè iudicari posse de morbis cerebri, Pulmonum, Cordis, Epatis, Vteri, aliarumq; partium, ad quas urina nunquam pervenit. Nihil item de veneno spiritali ex uroscopia rectè judicamus, nihil de facto conceptu. Neq; certi aliquid de venis, neq; in febribus semper locum habet uroscopia: cum in multis appareant sanæ.

Probatio.

Cæterum illæ, quæ frequentioribus dubitationibus subjecta sunt, potißimum nobis hac vice enucleanda veniunt.

Et primo quidem quia vulgus Medicorum de cerebro, Pulmonibus, Corde, Vtero &c. plurima judicare solet: illud rectè fieri non posse evincemus: 1. *Vrina, uti supra dictum est, ad hasce partes nunquam pervenit.* 2. *Si urina servat familiaritatem membri sui, cur expellitur, ut alienum.* 3. *detur aliquid à partibus istis mitti, licet non magnum, quid, quæso, coniectaris ex recremento ad partis substantiam, vires & robur?* 4. *Loci substantia in renibus diu immorata per horum densißimum corpus percolatur, & quasi destillatur, hoc est in ureteribus ulterius mutatur: In vesica diutius & perfectius alteratur. Quid ergo certi de partibus supra narratis ex hoc excremento judicamus?*

Objectio. Responsio.

At, dices, ex urina peccantem humorem eiusq; coctionem & cruditatem præcognosci? Respondemus, neque hæc necessariò colligi. Nam 1. *non in omnibus morbis valet signum ex urina. Vnde Galenus de Pythione, qui febre laboravit, ait, iudicationem factam die decimo, sed cum urinis crudis &c. Et sæpè urina cruda apparet in fine morbi, & diu etiam post restitutã sanitatem, quia causa morbi fortè erat extra venam cavam, vel in ipsa. Atque hoc ex nimia potatione, vigiliis, &c.*

etiamsi

etiamsi coctus & superatus est morbus. Hinc alij nolunt ex urina signum aliquod verum dari coctionis humorum extra venas, sed tantum ostendere, venas (ex Cava, non ex Porta) renes & vesicam se malè habere. 2. Sæpè urina cocta apparet, quando jam crudi humores sunt in cava. Quamobrem si semel vides coctam urinam, non mox judicabis de victoria, quæ in pugna cum morbo multiplex obtineri debet. Experientia certè testatur, & ipse quoq; Galenus, fieri, ut hodie reddatur urina cruda, sequente nocte cocta & inculpabilis, cras manè cruda, circa vesperam rursum cocta &c. Unde Galenus autor est, optimam urinam esse, quando inter coctas nulla cruda est reddita. Nam humor crudus non totus simul coquitur, sed pars post partem; ut ita urina cocta non ostendat primò & per se coctionem totius humoris, sed tantum portionis ejus nuper coctæ. Diversitate ergò coctionis cum diversissimæ prodeant urinæ etiam exercitatione, variâ diæta, &c. quid de peccantis humoris coctione vel cruditate conjectaberis? Crebram si urinam poscis, diversisq; temporibus emissam, agendi occasio, quæ secundum divinum Hippocratem præceps est, præterit. Et si patent alia ad benè agendum necessaria, non multum opus esse videtur, judicio sive simplici, sive chymico. 3. Humores vitiosi non semper per urinam evacuantur. 4. addimus contra illos, qui de secunda coctione omnia videri posse ex urinis autumant, alia esse excrementa secundæ hujus coctionis, nempè biliosa tenuia, & biliosa crassa.

De nullis ergo partibus rectius ex urina aliquid judicamus, quàm de urinarijs. De alijs verò non certam sed probabilem duntaxat aliquam coniecturam habebimus.

PRO-

PROBLEMA
X.

Destillatio urinæ an utilis sit?

D.

Destillatio urinæ, quæ à Dornesio ceu magnum quoddam inuentum proponitur à nobis haud probatur: non tantũ quando intuemur rationes omnes præcedenti problemate de incertitudine urinæ allatas, verum etiam, quia nulla planè ratio est, cur eo recurrat urina, unde primum venit; (etiamsi concedamus quamlibet partem suum excrementum habere, quod urinæ permisceri potest) multò minus ut descriptionibus in vase obediat, ibiq; consistat, ubi cor, vel reliqua membra sunt designata. Quomodo enim dignosces, de essentia cordis esse, quod ex corde prodijt?

Verum alia quædam est urinæ destillatio, cuius descriptio apud Libavium integra videatur. Et eam quidem ad multa cognoscenda utilem esse, non inviti largimur, præsertim ad cognoscendas naturas & misturas succorum latentes. Quando ignoramus, an humor solus, an intemperies in vitio sit, quid obstructiones pariat, &c.

EXERCITATIO DECIMA.

Respondente

MARTINO VVEZELIO
Chemnicense Misn.

PROBLEMA
I.
An Revulsio sit Attractio?

Negatur.



Evulsio vulgò definitur attractio humorum confluentium, vel confluxurorum in partem omninò contrariam. Huius definitionis integritati decedit multum, si & genus illegitimum, & differentiam justo angustiorem demonstraverimus. Et illud quidem hoc priori problemate, hoc sequente. Revulsio, quid.

Revulsionem haud rectè & Philosophicè attractionem dici posse sequentia confirmabunt.

Primum, pars mittens humorem à se propellit, vel quia ex se robusta, vel quia Medicamento irritata. Humor enim haud fluit à se & proprio impetu; cæteroqui omnis fluxio ad inferiora fieret; sed aut quia à mittente expellitur, aut quia à recipiente trahitur. Secundum Gal. doctrinam libr. 3. de sympt. caus. c. 2. & l. 13. d. M. M. c. 3.

Itaq; quando expulsione partis mittentis fit revulsio: attractio non habet locum.

Deinde quando laxantibus pars redditur debilis, ut in

illam ceu cloacam expellantur excrementa attractio nulla est. Et cauteria recipiunt excrementa ab alijs partibus expulsa sine resistentia; non attrahendo, neq; expellendo, cum naturali virtute ferè orba sint. Ad eundem modum etiam sinus, caro fungosa, glandulæ, & aliæ partes imbecilliores. Quocirca humores caput petentes quando revellere animus est: fieri hoc poterit non tantum attrahentibus, verum etiam laxantibus ventriculum & intestina, quæ ea propter postmodũ facilius recipiunt.

Aliquando vero revulsio ab attrahente facultate fit, ut per hirudines.

Secundum illos, qui purgantia electivè hunc vel illum humorem trahere statuunt (quibus tamen nos non assentimur) revulsio fieri pronunciabitur à facultate tam expellente quam attrahente.

Verum genus Revulsionis.

Genus itaq; revulsionis legitimum attractionem haud quaquam esse, luce meridianâ clarius liquet. Melius vero Galeno dicitur ἀντίσπασις, aversio in contrarium, & nos aversionem tanquam genus de revulsione & de derivatione rectè dici putamus. Est enim revulsio humorum aversio in partem contrariam. Est & derivatio aversio: sed quæ sit ejus differentia constitutiva, dicemus postea.

PROBLEMA II.

An Revulsio etiam confluxis humoribus competat?

Affirmatur.

Revulsionem indicari à materia, quæ in motu est, & jam fluit, facile omnes concesserint. An verò ab ea quæ influxit vix quisquã; à fluxurâ, nonnulli. Intelligantur a. omnia de materia, quæ cum salute ægri apta est de loco in locum moveri.

Revulsionẽ competere fluxuræ materiæ probatur.

Et fluxuris quidem humoribus rectè revulsionem adhiberi ita probare licet.

1. Non

1. *Non fluere in contrarium, sed posse fluere, indicat primò & per se revulsionem. Quærunt enim scientifici, quod possibile est & perpetuum. Quemadmodum risibilitas homini omni competit, quamvis actus ridẽdi à nonnullis studiosè vitetur.* I.

2. *Revulsionem in principiis morborum fieri debere annuit Gal. 2. in 6. Epid. t. 9. Atqui tunc humor ut plurimum quiescit, aut saltem quoad partem in motu non est.* II.

Sed longè frequentius dubium est, an materiæ jam confluxæ debeatur revulsio, cum illud ferè omnis Medicorum schola neget atq; perneget. Videtur autem & iis humoribus, qui jam confluxi sunt, revulsio non injuriâ competere. Nam Revulsionẽ competere fluvio etiã humoribus Probatur.

1. *Inter motiones oppositas mediat quies. Ergo neq; humores jam in motu existentes revulsionem pati poterunt, nisi prius aliquantulum quiescant.* I.

2. *Humores confluxi derivari possunt. Ergo moveri. Et si moveri possunt: utiq; nõ impossibile erit eos aliquãdo revellere.* II.

3. *Humor ad orificium ventriculi confluxus angorẽ excitare solens, revellente per alvum, vel acri clystere tollitur, contestantibus Practicis.* III.

4. *Hoc ipsum non videntur ignorare Medicorum illi principes, Hippocrates, & Galenus. Et Galenus quidem præter alia loca multa luculenter, quæ huc adducere prolixum nimis foret, hunc unum insignem habet lib. 4. de rat. victus in acut. t. 30.* Medicamenta circumposita cervici in angina revellent humorem, qui in partem anteriorem fluxit. *Hipp. l. 2. d. rat. victus d. pleuritide tractans ait:* Sanguinem esse evacuandum in tanta copia donec lividus exeat. *Atqui hic certe lividus sanguis dudum est humor confluxus. Nec immoramur loci hujus Hippocratici stolidam explicationem à Curtio & Manardo allatam: per revellere intelligi debere, derivare, ita enim omnia ad cujusvis placitum vertere licebit, & pervertere.* IV.

Quæstio.

Interea quærat quispiam quænam sit revulsionis differentia specifica & quænam derivationis. Si enim confluxis humoribus revulsio etiam recte competere enunciatur: utiq; per eos derivatio à revulsione formaliter non differet. Quemadmodũ alioquin communiter statuitur hanc veram differentiam esse revulsionis & derivationis, quod illa fluentibus humoribus, & quidem ad distantissima competat: hæc fluxuris, & ad locum vicinum.

Responsio.

Ad hæc ut rite respondeatur largimur non inviti derivationem præcipue esse confluxorum humorum: at totaliter his duntaxat tribui debere, clare & content è negamus; Vtrumq; verò patet ex Gal. l. 4. MM. cui confluxus & quiescens humor melius derivatur, quam revellitur. Hoc loco humori confluxo & quiescenti tantum abest Galenum revulsionem penitus denegare, ut tacite potius eandem attribuat. Comparativa enim positivis participãt. Et quemadmodum derivatio magis competit fluxis humoribus ita revulsio magis fluentibus attribuitur. Vtraq; tamen conveniunt humoribus fluentibus fluxuris & fluxis.

Differentia specifica revulsionis & derivationis.

Quapropter alia investiganda est differentia ultima, per quam revulsio & derivatio invicem discrepabunt. Est a. revulsionis constitutiva differentia, renitentiam humorum respicere hoc est, avertere humores quo non sunt inclinati & propensi; derivationis vero non ut confluxi humores tollantur (quemadmodum revulsione fluentes dicuntur averti) sed sequi humoris evacuandi inclinationem & motum; hoc est avertere eos eò, quò proni sunt ac propensi.

Vni humori diverso respectu competit & revulsio & derivatio.

Vnde concludimus unum remedium simul revulsorium & derivatorium esse posse, licet Manardus & Curtius contradicant. E.g. in pleuritide vel Angina dum sanguis vacuatur per cubitum si humor fluens vel fluxurus ad Pleuram vel guttur, retrahitur; vocabimus revulsionem: si is qui non resistit, nec inclina-

inclinationem habet & avertitur tamen à loco affecto affecto: derivationem vocabimus. Sic in Ischiade humor intus stabilis & fixus si ad cutim externam cum violentia avertatur, datur revulsio: si vero ad aversionem illam facilis atq; pronus est: derivatio.

PROBLEMA III.

An Revulsio fieri debeat per proxima?

Affirmatur cum dist.

An per distantissima, an per propinqua, an per utraq; revulsio instituenda sit non levior est controversia.

1. Opinio est Laurentij Iouberti, *qui vult sine discrimine semper per proxima fieri debere revulsionem.* Opinio. I.

Cui quidem tanquam vitiosæ nostrum calculum dare non possumus, quia si, ut ille ait, in inflammatione manus secandus esset idem cubitus: major certè copia humoris à vena jugulari ad cubitum conflueret, quam à carpo ad cubitum. Refutatio.

2. Sententia est Brisoti putantis in principio faciendam revulsionem per proxima, in fine per remota. II.

3. Alij ut Achakias, Manardus, Curtius & Fuchsius contendunt revulsionem fieri, dum præservamus, vel quando affectus est levis, sine periculo nec petens partem principalem, per distantissima: dum vero curamus, per proxima & ubi morbus est periculosus atque acutus, & quando humores partem aliquam principem petunt. III.

Verum hi omnes revulsionis processum faciunt variabilem, cum tamen ratione unius naturæ & ideæ unus debeat esse procedendi modus. Refutatio.

4. Alij communiter per distantissima semper fieri debere revulsionem adstruunt. IV.

Atqui de natura revulsionis potius est, ut citò fiat quemad- Refutatio.

modum colligimus ex Gal. l. 2. d. rat. victus. comm. 10. Et si citò, utiq; per proxima. Nam per viā breviorem citius avertimus.

V Opinio verior. 5. Sententia nobis verisimilis magis videtur, nempe de natura revulsionis esse ut cito fiat, & per proxima. Quod verò fiat per distantissima aliquando non convenire revulsioni per se & semper sed per accidens, hoc est, per aliud nempe probibens. Non unquam enim plus potest probibens in probibendo, quam indicans in indicando, & semper potentiori est attendendum.

Revulsionē per se fieri per proxima. Revulsionis a. naturam per se esse, ut per proxima fiat probare facillimum est, nempè quia citò, uti dictum fieri debet. Atqui hoc ex varijs exemplis ex praxi desumptis stabilire quoq; possumus. Nam

I. 1. Veteres in hunc scopum totum corpus dispescuerunt in partem quæ supra renes est, & in partem quæ infra. Quam quidē divisionem non creassent, si per distantissima semper fieri deberet revulsio.

II. 2. A capite retracturi humores & evacuaturi per cauteria: in brachio non in pedibus hoc molimur.

III. 3. Sic Gal. in hæmorrhogia navium non secat venam tali, sed cubiti directe respondentem: vel magnam cucurbitulam præcordijs affigit.

IV. 4. In fluxu oculorum diuturno acribus Medicamentis ad fauces revellunt Hipp. & Gal. 2. in 6. Epid. t. & comm. 31.

V. 5. Luculentus est [illegible]us Gal. l. 2. d. rat. victus comm. 10. si in

Galenus. pleuritide extendatur dolor ad jugulum, vena in cubito secanda est, quæ sanguinem ab affecta parte velocius revellere & evacuare posit. Quid quæso his verbis manifestius?

VI. 6. Idem l. 4. de rat. vict. ait. Medicamenta circumposita cervici in Angina revellere humorem.

VII. 7. Idem l. 5. MM c. 14. commissuræ coronali adhibet ceratū ex Thapsia, ne pituita salsa in pectus descendat.

8. Ex

8. Ex ejusdem præscripto, digitum à quo oritur aura frigida Epilepsiam gignens, adurimus & sinapisamus, ad auram istam Epilepsiæ genetricem revellendam. VIII.

9. Materiam in ore ventriculi angoris matrem per alvum revellimus. Sed ad quid tot recensemus exempla cum unum atq; alterum evictionem omnem præstare potuisset. IX.

At dices: tamen revulsio sæpissimè fit per distantissima: imò ut plurimum. Objectio.

Respondemus fieri hoc non per se sed per aliud, nempe per prohibens. Interim non tollitur quin prohibente hoc amoto per proxima fieri debeat revulsio. Prohibens a. illud est redundantia excrementorum, quæ ad partem affectam facile confluerent, vel quod facilè pars affecta excrementa reciperet, & corpora ægrorum utplurimum affluunt humoribus ubi revulsio in parte vicina facta, ad alteram vicinam jam actu ægrotantem humores allicere potest. Hinc Gal. 2. ad Glauc 2. In morbis genuum mittit sanguinē ex brachijs, quia ibi proponit juvenē cum maxima sanguinis redundantia. Hinc etiam topica initio morbi rarò admouentur, quia tunc humorum adest plenitudo. Interim reperiuntur ægri sine tali plenitudine, ubi topica initio dantur, & possunt debentq; dari ex Galeni etiam præcepto.

Responsio.

Cui revulsio sæpe fiat per distantissima.

Revulsio ergo fit 1. *aliquando per propinqua, nempe primum quando indicans urgens est, & prohibens vilius, ut quando suturæ coronali ex Thapsia ceratum adhibetur. Deinde non tantum ob prohibentis absentiam, sed etiam quando vasa longinquiora videntur, quibus tamen propinquiora non suppetunt, per quæ revelli possit humor; ut in brachiorum inflammationibus secamus venam cruris, quia non adsunt venæ aliæ viciniores quas secare solemus neq; in dorso, neq; in regione Epatis &c.*

Revulsio fit per propinqua.

2. Per

2. Per remota quando prohibens plus potest quã indicans

3 Per remotissima quando prohibens maxime potest.

PROBLEMA IV.

Cur in Revulsione servent rectitudinem?

Inter varias Revulsionis conditiones, quæ ab Hipp & Gal. proponuntur aliisq; Medicis: non postrema est hæc, quando dicitur Revulsione per Phlebotomiam fieri debere κατ' ἴξιν. Hæc a. rectitudo ex Galeni doctrina duplex est, partium & vasorum.

Rectitudo in revulsione quotuplex.

Rectitudo partium.

Rectitudo partium est ea, quam habent, dextræ cum dextris & sinistræ cum sinistris &c. Hæ enim sibi mutuo correspondent, condolent, & compatiuntur. Ac videtur natura omnes partes corporis bipartiri voluisse, ut læsa una portione, dimidiũ adhuc ut membri ita & actionis remaneret.

Rectitudo vasorum.

Rectitudo vasorum à conjugibus dependet, unde Gal. in artubus fluxionem patientibus à conjugibus moliendam revulsionem monet. Et sæpenumero relicta partium rectitudine illa tantum quæ vasorum est, servatur. Vt in fluxione brachij dextri revulsio fieri potest per venas brachij sinistri; quia rami axillares per brachia disseminati conjuges sunt, ideoque à brachio dextro commoda fieri potest revulsio in brachio sinistro. Ad eundẽ modum & in cruribus; quia ramus cruralis cruris sinistri conjugem habet dextri cruris ramum cruralem.

Hipp.

Rectitudinem hanc quam magni fecerit divinus Hipp. ex ijs quæ de liene affecto pronũciavit, manifestum est. Ait enim Liene laborante, si sanguis ê nare sinistro fluat, bonum: & Iecore laborante si è dextra nare prorumpat sanguis, morbi fit solutio. Contrariũ verò si fiat malum. Rationem dat; quia vitioso partis affectæ sanguine retento, & laudabili duntaxat sanguine evacuato vires deijciuntur & morbus non soluitur.

Quæstio.

Quæstio a. non levis momenti est; quam movet Stephanus Atheniensis, qui fiat quod liene laborante sanguis criticè, κατ' ἴξιν

ἰξιν è nare ſiniſtra fluere debeat, jecore vero affecto è dextra. Atq; hunc naturæ morem ars imitari debeat; cū tamen uterq; ſanguis prius ad truncum venæ cavæ adſcendentē perveniat.

Pro hujus quæſtionis ſolutione idem author tria jacet fundamenta I. Corpus ſecundum Hipp. conſtare ex ſpiritibus impetum facientibus, humoribus ſeu contentis, & partibus ſolidis ſeu continentibus. 2. Corpus eſſe transfluxile, conſpirabile, omniaq; invicem compati. Spiritibus quidem eſſe conſpirabiles, humores transfluxiles; partes vero ſolidas compaſſibiles. 3. Lienem dum moleſta expellit, ſicut & Epar, moveri & in ſe cogi; Spiritus autem omnium primum moveri. Solutio Atheniensis.

His poſitis fundamentis talem reddit quæſiti cauſam: In Expulſione materiæ noxiæ ſpiritus primò commoveri; & quia dextræ partes cum dextris majorem habent συμπάθειαν, ideo ſpiritus illos ductus dextros potius dilatare, viamq; quaſi humoribus ſternere unde humores ſequuti potius in nare dextra evacuantur quam è ſiniſtra. In materiæ verò lienis excretione ita ſentit. Hujus nimirum ſpiritum primò moveri & primo ad Iecur pervenire, poſtea in truncum venæ cavæ, tandem in jugularem ſiniſtram eundemq; ductū humores à liene ejectos ſequi. Et quia dextri, ſpiritus cum dextris, ſiniſtri cum ſiniſtris conſpirabiles ſunt, & humores confluxiles, ideo dextros fluere ad dextros, & ſiniſtros ad ſiniſtros.

Hæc ratio licet ingenioſa eſſe videatur tamen ab abſurditatibus non eſt immunis. Spiritus n. putare in motu præceſſionē habere, & humoribus viam præparare, quid aliud eſt dicere, quam ſpiritus ſolos aliquando in vaſis eſſe ſigillatim abſq; humoribus & humores ſine ſpiritibus, quod abſurditate laborat evidenti, deinde ſcientiam aliquam videtur ſpiritibus attribuere; quando vult ſpiritus dextros potius dextros ductus dilatare; quod tamen communibus Medicorum ſententijs refragatur. Si vero inclinationem naturalem ijs tribuit dextris Examinatur ſolutio Athenienſis.

quidem ad dextras partes contēdendi & sinistris ad sinistras, non repugnabimus. Ex vicinitate potius loci hujus vel illius in capacitate vasorum ratio fortaßis firmior sumeretur, de qua alibi.

PROBLEMA V.

Quomodo sanguis per sectam venam egrediatur?

Quæ ratio sit, quod sanguis per venam sectam egrediatur, nec intus maneat, pauci rectè explicant.

Opinio I. *Prima opinio quorundam recentiorum est, censentium, ob gravitatem sanguinem exire atq; effluere.*

Refutatio. *Hoc si verum esset vulnus capitis in homine stante non emitteret sanguinem. Ob gravitatem n. sursum tendere non posset. Corruet etiam Galeni sententia, humores in viventibus non fluere proprio impetu.*

II. *II. Opinio est* Argenterij, *qui putat expulsionem sanguinis provenire à dolore sectionis venarum, & à vinculis.*

Refutatio. *Falsitas hujus opinionis patescit in ijs qui saucij sunt, & inscij tamen læsionis, antequam sanguinem videant, ubi absq; dolore & vinculis jam ante egressus est sanguis.*

III. *III. Opinio esse potest* Altimari *qui sanguinem vult egredi ob vim vacui, eò quod paucam sanguinis portionem egressam alia necessario sequatur & substituatur. Eiusdem sententiæ est* Thomus Fienus *in libello de cautèrijs, atq; ibidem ait, quod ob continuitatem posterior pars sequatur priorem.*

Refutatio. *Hisce respondetur, dici eodem jure vacuum in vena cava relinqui, ex qua sanguis sectionem versus movetur. Verum hoc non est: Nam venæ tam majores quam minores egrediēte sanguine considēt ne sequatur vacuum.*

IV. *IV. Esse potest* Fernelij & Brisoti *qui volunt egredi sanguinem ob vim fibrarum rectarum in venis protensarum, quarum officium sit sanguinis partem post partem attrahere.*

Refutatio. *Verum negamus fibras rectas esse solum per longitudinem sursum & deorsum extensas, multæ enim venæ propagantur in dextram & sinistrā partem. Et nimium illi fibris tribuunt.*

V. Verisi-

V. Verisimilior est sententia causam ponendam esse in distensione vasorum. Motus enim continuus arteriarum venis adjectarum venas comprimit; venæ autem si aperiantur sanguis ob non resistentiam egreditur. Quamobrem in sectione adveniente syncope cessat sanguinis egressus, quia spiritus vitalis vasa non amplius distendit.

Hæc adæquata causa, verius quam priores esse potest, licet aliquid efficere possint gravitas, vacuum, vincula, &c.

PROBLEMA VI.

An secandarum venarum Cephalicæ & Basilicæ sit habendus delectus?

Negatur.

Nimis scrupulosi sunt hodierni chirurgi in venarum sectione & ex antiqua quidem consuetudine. In affectibus enim capitis Medici Chirurgi non Jecorariam sed Cephalicam secare volunt, unde etiam hæc vena nomen sortita est. In partibus vero quæ sub collo sunt non nisi Basilicam aperire sustinent; ac si hæc caput deplere non posset, & Cephalica Epar aliasq; partes inferiores evacuare nesciret.

Orta est autem hæc opinio ex ignorantia accuratioris Anatomes. Putarunt enim complures ante hac Anatomici, & vulgus Medicorum sequitur, Basilicam inferiori loco sub axillis oriri, à cava; Cephalicam vero superiori. Quod contra experientiam est Anatomicorum. Vtraq; enim vena tam Cephalica quam Basilica ab uno puncto prodit atq; exordio, qua de re videantur Fallop. Bauh. & alij.

Vulgaris opinio unde orta.

Quia ergo pars quæcunq; depletur & per Cephalicam & Basilicam ab eodem ramo venientes; non tantus est harum venarum habendus delectus. Sed secanda potius est magis conspicua. Si utraq; occulta est, præstat aperire Cephalicam, quia sub Basilica progreditur nervus magnus & arteria major, quorum nomine chirurgus imperitior facilè deliquerit.

Observādum a. quod pauci animadvertunt à jugulari externa ramulum brevem in Cephalicam inseri. Nec hoc rarum aut monstrosum est, ut quidam contendit. Quocirca istius venæ ratione in affectibus capitis, caput nonnihil faciliùs depleri poterit.

PROBLEMA VII.

Fonticuli in brachijs faciendi quis sit verus locus?

Locus cauterij in brachijs.

Delinquunt etiam non raro hodierni chirurgi in loco eligendo brachij, cui cauterium inurendum. Nam

I. *1. Aliqui in musculi deltoidis corpore cauterium inurunt, eò quod musculus ille quasi quasdam in se divisiones & intersectiones habeat, ut in varias & plures partes dirimi posse videatur.*

Sed motui nonnihil incommodare potest hic locus, quandoquidem in ipso musculi corpore infigitur.

II. *2. Quidam in fine deltoidis Fonticulum inurunt.*

Sed hic locus nimis vitiosus est ob partes nervosas quas lædit & irritat.

III. *3. Alij inter deltoiden & alium musculum exteriorem.*

Hic locus in duplici est vitio. 1. quia prope venas non habitat. 2. quia oculis à patiente vsurpari non potest, & recte gubernari.

IV. *4. Verißimus autem & commodißimus hic est locus.*

In brachiorum parte potius interiori quam exteriori infigi debet fonticulus: Nam illa tuta est ab injurijs forinsecus accedentibus, in motu brachij minus patitur, & oculis ægri subjacet.

Deinde non in parte carnosa brachij inurendum est cauterium, multo minus in nervosis & tendinosis partibus; ne suboriantur dolor, & motus læsio: sed infra spatulam 4 aut 5. digitis, ubi flectendo brachium digitis percipitur duorum musculorum interstitium & manifesta intersectio flectentis nimirum cubitum primi, bicipitis dicti, & deltoidis.

Hic verus locus est bonis fonticuli notis correspondens. Est enim prope venam humerariam inter musculum & musculum, & optime ab ægro videri tractariq; potest. De quibus omnibus uberius in tractatu nostro de cauterijs.

F I N I S.

This Book is
belongs to Thomas Mason
Surgeon of Skinner St
Snowhill